6

Q. D. B. V.

JURA VIDUARUM CLERICORUM & PROFESSORUM

Vulgò

Das Wittwen-Recht Der Professoren und Geistlichen Weiber/

SUB SPECIALI

MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS

CONSENSU

IN CELEBERRIMA ALTDORFINA

PUBLICO ET SOLENNI ERUDITORUM CONFLICTUI

EXPONENT

PRÆSES

ERHARDUS Spitz/

ALTDORFFINUS,

ET RESPONDENS

JOH. GUOLFGANG. BAUER,

WERHDA-NORIC.

Ad D. 23. Jun. 1712.

Excudebat JOD. GUIL. KOHLESIUS, Acad. Typ.

Digitized by Google

Digitized by Google

De Viduis Clericorum & Professorum, earumque Juribus.

Ulierum ſexui, etiamſi ſtatus quæſtionem, ad exemplum Cujacii aliorumque *l. 38. §. 5. ff. de pœn. & c. 33. qu. 5. can.* 13. *itemque* 19. fundamento innitentium, movere animus non ſit; attamen hoc certo certius eſt, eum ut imperfectiorem imbecillioremque *l. 4. C. de ſponſ. l. un. §. 15. C. de rei uxor. act.* multis poſtponi paraſangis illi, cui a vi ſive præſtantia nomen eſt, vid. Exc. Dni Lynkeri *Diſp. de præcellentia marium præ fœminis*. Sexum exinde ſequiorem ad unum omnes dictum volunt Philologi fœmininum; deterioris autem conditionis JCti in *l. 9. ff. de ſtatu hom.* adeo ut *nec Judices eſſe fœminæ, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores exiſtere poſſint, ſed ab omnibus officiis civilibus vel pu-*

blicis remotæ esse debeant, ceu *l. 7. ff. de R. J.* constitutum verbis legimus. Infirmitatis hujus & rationem & commiserationem habentes leges sive potius earum latores multa introduxere privilegia, quibus sane tantopere prospectum est mulieribus, ut ipsos etiam mares si non vigore atque dignitate, attamen jure favorabiliore superent. *Quis enim earum non misereatur*, inquit Imperator Justinianus in *l. 12. C. qui pot. in pign. hab., propter obsequia, quæ maritis præstant, propter partus periculum & ipsam liberorum procreationem, pro quibus multa nostris legibus inventa sunt privilegia.* Hinc melior in civilibus negotiis earum est conditio *t. t. ff. & C. ad SCtum Vellejanum*, Lauterbach. *in comp. Jur. ad tit. de statu hom.* & mitior circa delinquentes sententia *l. 5. §. 3. C. ad L. Jul. Majest. auth. Hodie C. de custod. reor.* Ut taceam jura, emolumenta, commoda, privilegia plura fœminarum propria; quippe quæ longa nunc serie recensere, cum instituti mei non sit res hæc per vulgus notissima, operæ pretium haudquaquam esse censeo: saltim hoc dixisse sufficiat: Quemadmodū fœminarum jura in genere sunt favorabilia, ita speciatim Viduarum privilegia multo esse & notabiliora & favorabiliora. Jure enim & merito in deferendis beneficiis maxima earum personarum habenda est ratio, quas ipsæ leges miserabilibus accensent, ecclesiaque nostra oratione, quam Litaniam vocant, publica reputat dignas. Inter quas, cum non ultimo loco viduæ sint referendæ, *l. un. C. quando Imp. int. pup. &c.* quarum curam ipse Deus peculiarem habet & habere gestit. Exod. *22. v.* 22. Deut. 24. *v.* 17. *c.* 26. *v.* 12. *c.* 27. *v.* 19. Matth. *23. v.* 14. 1. ad Timoth. 5. *v.*

Digitized by Google

5. *v.* 3. earum, cujuscunque ordinis ac conditionis fuerint, omnia ac singula privilegia favoris munificentiæque plenissima, in solatium earum maximum introducta, præsenti in dissertatione pertractare constitutum erat. Arripienti autem calamum, cum materiæ prolixitas, quæ tractatum magis integrum, quam disputationem Academicam postulare videbatur, aliud suasisset, tandem pro angustia temporis concessi nimia de Viduis Clericorum & Professorum, earumque juribus verba facere pauca decrevi.

CAPVT I.

Sistit Explicationem etymologicam, synonymicam & homonymicam vocum in rubrica occurrentium, recensetque eas fœminarum personas, quæ vel viduæ non sunt, vel viduarum juribus non gaudent, subjuncta definitione.

I.

CUm prior verborum, potior vero rerum sit interpretatio, Mynſ. *pr. Inſt. de Except. n.* 2. & teste Scaligero perceptio nominis ad ipsius rei perceptionem nos provehat, ideo ut prius circa vocabula in Rubrica occurrentia soliciti simus, non abs re erit, præcipue cum & JCti Veteres ipsi exemplo suo præiverint nos illustri,

Digitized by Google

& tantum non præceperint, uti colligere eſt ex *l. 1. de J. & J.* §. 5. *Inſt. quib. mod. jus patr. pot. ſolv. l.* 1. §. 1. *&. de pact. l.* 1. *de reb. cred. l.* 2. *de ſponſ.* aliisq;. Viduæ autem vocabulum unde originem traxerit, genuinam, Grammaticorum filii non conveniunt. Pars a particula *Ve* & obſoleto verbo *iduare*, i. e. dividere, pars ab *iduare* præpoſita *U* litera, pars à *Ve* & *duitate*; pars deniq; à *dividendo* deductum volunt. Quem diſſenſum componere cum noſtrum non ſit, miſeræ ac nimiæ Criticorũ Philologorumque diligentiæ diutius nunc inſiſtere operæ non erit pretium, bene vero conſultum L. B. ad Matthiam Martinium *in Lexico Etymologico*, Chriſtianum Becmannum *de Origin. lat. linguæ*, Calepinum, Fabrum, aliosque Lexicographos bonæ notæ remittere. Hoc ſaltem monere non nefas duco, penultimam ſententiam ſicuti Javoleni eſſe JCti, *Viduam* in *l.* 242. §. 3. *de V. S.* ſcribentis, *quaſi ſine duitate dictam eſſe, ſicut vecors ſine corde, veſanus ſine ſanitate*: ita ultimam nominis alluſionem, qua Vidua quaſi *Vi diviſa* dicitur, præ reliquis ingenioſam eſſe notationemque mereri. Viduam interim hic denotari UXOREM, CUJUS MARITUS EST MORTUUS *c.* 16. *diſt.* 34. nobis ſatis erit. Qua ipſa definitione ſive mavis deſcriptione, excluſam volumus eam non ſolum latam ſignificationem, qua viduæ nomen denotat *virginem* in *dict. leg.* 242. §. 3. *de V. S.* vel eam *perſonam, quæ habet virum inutilem*, Gloſſ. in *l. ult. in verb. Orbati. C. ad Leg. Fab. de Plagiar. C.* 2. §. 1. *x. de translat. Epiſcop.* ubi Eccleſia viduata, quæ habet inutilem Epiſcopum dicitur, *vel eam denique, quæ habet vi-*

Digitized by Google

virum abſentem : Sic Plautus in *Stich. act.* 1. *ſcen.* 1. *Credo ego*, ait, *miſeram fuiſſe Penelopem*, *quæ tam diu vidua viro ſuo caruit* : ſed & illam metaphoricam, quando quamcunque *privationem vel carentiam indigitat.* Ita Ovidius, de Dejanira quando canit,

Ipſa domo vidua votis operoſa pudicis
Torqueor, infeſto ne vir ab hoſte cadat.

vacuam & marito privatam domum per viduam intelligit. Vocatur alias Conjux ſuperſtes *auth. Præterea C. unde Vir & uxor.* Italice Veudova ; Gallice Veuve ; In vernacula : Eine Wittfrau / eine Wittib oder Wittwe / eine überlebende Frau / item eine Relicte.

II.

Clerici vocem a Græco κλῆρος dictam eſſe non incongrue quis ſtatuet. κλῆρος enim ſortem ſignificat, itemque & hæreditatem, quæ vel ſortito obtigit, vel alio fortunæ beneficio ad aliquem pervenit, denotat. Sive itaque B. L. dictos eſſe Clericos cum *Iſidoro in l. 7. etym. cap.* 12. relat. *in c.* 1. *diſt.* 21. & Hieronym. *in Epiſt. ad ſuum Levitam* relata *in C. 7. cauſ.* 12. *qu.* 1. velit exinde, quod olim per ſortem fuerint electi, (quam electionem Pontifex *in c. fin. x. de ſortileg.* perpetua prohibitione damnat) ſive cum Hieronym. *in Epiſt. ad Nepotianum* relata *in c. 5. cauſ.* 12. *qu.* 1. exinde, quod de ſorte Domini ſunt, vel quod Dominus ſors id eſt pars eorum eſt, vel etiam quod partem Domini habent, ut idem Iſidor. *d. l.* aſſerit, ſive denique exinde, quod adſcripti ſint in hereditum patrimoniumque divinum, (κληρόνομος enim heres eſt, quod olim

olim ſorte divideretur hereditas, ſicut & regna) ſicuti Deut. *c. 9. v. ult. & c.* 14. *v.* 2. DEus populum ſuum appellare dignatus eſt, non magnum errabit errorem; cum omnes ad unum fere ſcopum tendere derivationes videantur. Licet præterea ſint qui exinde dictos eſſe putent Clericos, quod olim quilibet in Decurias ſuas fuerit diſtributus, ut ſibi mandato munere fungeretur. Hinc in *c.* 1. *diſt.* 21. conſtituti leguntur qui Oſtiarii eſſent, Pſalmiſtæ, Lectores, Exorciſtæ, Acoluthi, Subdiaconi, Diaconi, item qui Presbyteri & qui Epiſcopi eſſent. Etenim ἀπὸ κλήρου Dionyſio in hierarchiis in decurias contribuere ſignificat. Obiter hic addo, jungi hanc κλῆρος vocem & aliis, veluti in nomine ναύκληρος ſ. Nauclerus, quod Dominum navis ſignificat; Item in voce Cleropeplum, quod ſingulare ornamentum eſt Clerici ordinis, hodie Liropipium, ſecundum Becman. *de Orig. Lat. linguæ ſub voce Nauſea ad fin.* corruptiſſime dictum, videre eſt. Nobis interim Clerici titulo ii veniunt, qui cenſentur in Clero eſſe Felin. *ad cap.* 17. *verb. de deſtinato x. de Reſcript.* Clerus autem ille eſt mortalium ordo, ſ. collegium ſacerdotale, cui ſacrorum cura & adminiſtratio peculiari ratione eſt commiſſa, uno verbo: Die Geiſtlichkeit. Definiri itaque poteſt Clericus, quod ſit perſona eccleſiaſtica, quæ ſacrorum adminiſtrationi cultuique divino peragendo, inauguratione certa eſt conſecrata, deſtinata atque mancipata *c.* 5. 6. & 7. *cauſ.* 12. *qu.* 1. ubi: *Chriſti ſervit eccleſiæ, mancipata divino officio, dedita contemplationi & orationi & ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare convenit.* His opponuntur Laici, à Græco λαὸς, quod populum dicit, nun-

nuncupati, qui nullis ecclesiæ muneribus addicti, nec religionis voto alligati, libere commerciis secularibus vacant *d. can.* 7. §. 1. ubi: *Duo sunt genera Christianorum, unum Clerici, aliud Laici, quibus temporalia licet possidere, sed non nisi ad usum; nihil enim miserius est, quam propter nummum Deum contemnere. His concessum est uxorem ducere, terram colere &c.* Excussa etymologica Clerici significatione, subjunctaque definitione, homonymiam nullam aliam reperire mihi licuit, nisi quod Clerus s. κλῆρος vermiculum etiam denotet Plinio *lib.* 11. *c.* 19. *& l.* 1. *c.* 16. in alveorum pavimentis nasci solitum, ex quo crescente velut aranea obducatur alveus, ita, ut favi carie apes postmodum pereant. Synonymiam quod attinet, vocantur alias Sacerdotes. *c.* 1. *dist.* 21. Ministri Christi & Dispensatores mysteriorum Dei. 1. *ad Cor.* 4. *§.* 1. Milites cœlestes Glossa *in l. stipendia* 4. *C. de execut. re. jud.* Milites Christi. Alex. *Cons.* 126. *vol.* 1. *cap.* 3. Principes, Patres omnium fidelium. Hyppolit. *Tract. de fide juss. num.* 179. *ibique cc. allegat.* Doctores ecclesiæ, Inspectores, Superintendentes, Episcopi, vulgo Pastores, Parochi, verbi divini Ministri, Germanice ein Geistlicher / Pfaff / (quod licet natura sua bonum, tamen moribus nostris exosum adeo nomen est, ut etiam injuriarum eum posse conveniri, qui Pastorem sic vocavit, teneat Lauterb. *in Comp. ff. ad tit. de Inj.*) Seelsorger / Pfarr / Pfarrherr / Diener am Wort Gottes / Prediger / Beichtvatter / Capellan, Helffer / ut taceam innumera alia, ratione officiorum, dignitatum, diœcesiarum, ordinumque & graduum s. illustriorum s. minorum, cœnobiorum, capitulorum item & ca-

nonicatuum, ipsis in utraque lingua imponi solita, quæ vel nobis per se notissima sunt, vel facili apud Authores negotio inveniri possunt. vid. interim Henr. Canisius *in summa Jur. Canon. Lib. 1. tit. 4. §. 3. & tit. 5.* ubi numerum ordinum ecclesiasticorum recenset. Cæterum antequam Clerici vocem missam faciam, adhuc monendum censeo, nil quicquam ad nos attinere, Romano-Catholicis viduam Clerici eine Pfarrherrns Wittfrau/ens esse rationis, iisque Pfaffen- & Hurenkinder/ tanquam synonyma in uno eodemque prædicamento reponi. Cum nobis A. C. addictis sufficiat, permissum illis matrimonium legum sacrarum fundamento inniti.

III.

Professoris nomen Latio cunabula sua debere, non opus est procul arcessere probationis documentum, cum a verbo deponenti *Profiteri* sit derivatum atque deductum. *Profiteri* autem hoc loco idem quod publice docere vel exercitio colere, denotat. Hinc PROFESSIO i. e. actus profitentis, quæ non solum argentariorum *l. 6. §. 9. ff. de edend.* sed & aliorum omnium vitæ generum dicitur. *l. 26. in f. C. de Ep. & Cler.* Lampridius in Heliogab. *promoturus*, inquit, *omnes turpissimos & ultimæ professionis homines.* & PROFESSORES, qui artes liberales, mechanicas, vel etiam prohibitas, aliasque profitentur. Quarum nomine licet secundum. *l. 1. §. 4. & seqq. de extraord. cognit. & Rubric. C. de Prof. & Med.* neque Medici, neque Philosophi, neque Jurisperiti, neque ludi literarii Magistri contineantur: hodie tamen extra dubitationis aleam positum est, professionem ubique sumi

mi pro publica institutione præsertim superiorũ disciplinarum, ut Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ, Philosophiæ: quarum doctores in publicis scholis vulgo *Professores* appellamus, ut rectissime scribit Martinius *in Lexic. Philol. h. voce.* vide interim imprimis Jac. Gothofred. *ad Cod. Theod tit. de Professoribus, qui in urbe Constantinopolitana docentes ex lege meruerunt Comitivam.* Item *ad tit. de studiis liberal.* nec non *ad l. ult. de operib. publ.* ubi plura ad hanc rem facientia, neque palatui tuo injucunda, Philologus consummatissimus Tibi, L. B. propinabit. Professor itaque nobis hic est ea persona, quæ publice legit, & cui auditores dant operam, ceu loquitur Calvinus in *Lexico Jurid. h. voce.* vel quæ publica authoritate est constituta, in Universitatibus, Academiis, atque Gymnasiis docet atque erudit pubem adolescentem in bonis literis, cumprimis autem iis disciplinis, quæ quatuor facultatibus, ut dicunt, superioribus proprie attribuuntur, atque per hoc non solum honoribus, sed & præmiis atque immunitatibus præ ceteris digna. Hinc Symmachus perpulchre *epist.* 29. scribit: *Scis bonas artes honore nutriri, atque hoc specimen esse florentis Reipublicæ, ut disciplinarum Professoribus præmia opulenta solvantur. Quicquid enim* (sunt Oldendorpii verba) *Professoribus atque veris bonarum literarum studiosis tribuitur, id centuplo redit in publicam utilitatem; dum quisque suo fungitur officio, vel prædicando Dei verbum, vel formando vivendi politiam, vel curando corpora hominum.* Et quem fugit, horum consideratione Professores nullo non tempore ab Imperatoribus magno in pretio

 fuisse

fuisse habitos, ipsisque & honoribus & præmiis & immunitatibus abunde prospectum, ut luculenter satis legere est *ex l. unic. C. de Professoribus, qui in urbe Constant. docentes ex lege meruerunt Comitivam*, (ubi quomodo comparati esse debeant statutum) Item *ex t. t. de Prof. & Medic.* ut & ex *tit. de Extraord. Cognit.* nec non *tit. de studiis liberal.* pro parte etiam *ex tit. de Orig. Jur. & Constitutionibus de Confirmatione Digestorum.* imprimis vero ex memoranda Imp. Friderici *auth. Habita C. ne fil pro patre* constat. Quæ omnia loca allegata & ad hæc Commentatores evolvere eum, cui rem penitius investigare propositum est, non pigebit. Nos interim iis contenti sumus, & hoc saltim adhuc quoad Synonymiam notamus, Professores uti in genere Doctores, Magistri, Præceptores, Didascali, Hypodidascali, in Gymnasiis Directores, Rectores, Conrectores, Cantores &c. vocari, ita in specie Juris Professores. Antecessorum titulo insigniri §. 3. *procem. Inst.* quia juventutem docendo præeunt vel scientia antecedunt. Cujac. *Lib.* 12. *obs.* 40. Licet Alciat. *L. 3. Disputt. cap.* 12. adhuc hæreat, an non Assessores legendum sit. Homonymia vocis professionis fere nulla est, nisi, ut supra dixi, quod ea de qualibet arte atque exercitio etiam mechanico in omni vitæ genere possit dici, adeo ut si de sutore, professionem suam illum exercuisse, dixeris, haud male dixeris. Quoad Professores Juris autem, Alciato *occas. l. 2. §. 43. ff. de Orig. Jur.* Professorum nomine videntur etiam posse intelligi JCti, qui à principio adibantur, ut consilii sui oratoribus & advocatis copiam facerent. vid. Calvini *Lex Juridic. h. voc.*

Tan-

Digitized by Google

Tandem Profeſſio etiam dicitur, qua monachus per votum triplex Deo ſe ſe offert. Hac enim votorum emiſſione palam profitetur Deo obedientiam, caſtitatem & paupertatem deinceps ſe obſervaturum. Carolus du Freſne *in Gloſſar. voc. Profeſſio.* Coronidis loco adhuc addo, nos, etiamſi publicos Præceptores ſcholarum trivialium, ceu vocant, nomine Profeſſorum nolim comprehenſos, attamen iis, præcipue vero eorum viduis ex æquitate viduarum jura atque beneficia recte attribui, non immerito ſtatuere; ſicuti &, quando de viduis Clericorum ſermo eſt, viduas Miniſtrorum Templi ſ. Ædituorum, Cantorum Ludimoderatorum, Organicorum, ſimili ſi non honoris, tamen æquitatis ratione ſemper ſubintelligere: præcipue cum Kirchen und Schuldiener à plerisque & plerisque in locis Clero accenſeantur, & ſæpe numero non minus, quam ipſi Clerici, Reipublicæ utilitatem in operoſis & ſqualidis officiis ſuis obeundis, promoveant. IV.

Reſtat Juris vox, cujus circa explicationem, ab Ulpiano *in l. 1. ff. de J. & J.* jam jam breviter datam, de induſtria non hærere placet, cum tam notum quam quod notiſſimum ſit imprimis vero Jurisperitis, quid ea indigitetur. Et licet jus pluribus dicatur modis. *l. p. ff. de J. & J.* Sic in *d. l. 1. ff. de J. & J.* ſignificat artem boni & æqui ſ. Jurisprudentiam: *in tit. de J. Nat. G. & C.* denotat legem ſ. regulam à ſuperiore præſcriptam. *in tit. de Jure Perſonarum* innuit conditionem ſ. ſtatum; in ſervitutum materia, poteſtatem aliquid habendi vel faciendi indicat, in actionibus autem pro facultate in judicio agendi ſumitur: ſic amplius nonnunquam etiam jus

Digitized by Google

pro neceſſitate dicitur, veluti eſt mihi jus cognationis vel adfinitatis. *l. ult. ff. de de J. & J.* nonnunquam vero etiam pro privilegio ſ. ſingulari juris quodam accipitur favore: facili tamen concludendum eſt modo, ultimam juris ſignificationem, præ reliquis ſolam atque unicam hujus eſſe loci. Jus itaque hic nobis ſufficiat privilegium eſſe favorabile, ſ. jus ſingulare; ſpecialem Principis conſtitutionem, Lauterb. *in comp. ff. ad tit. de Conſt. Princip.* beneficium, immunitatem, favorem &c. Germanice: eine Gerechtigkeit/ eine Freyheit. De his itaque juribus ſingularibus privilegiisque, Viduis Clericorum Profeſſorumque propriis, in præſens aget B. C. D. diſſertatio noſtra.

V.

Enimvero in viduæ definitione cum §. 1. loco generis UXOREM poſuerimus, hoc ipſo exemtas à viduis earumque juribus, non ſolum (1) virgines volo, licet Peretz. *ad tit. Cod. quando Imp. inter pup. & vid. n. 3.* cum Vinc. de Franchis *deciſ.* 100. & his arbitrio judicis jura viduitatis attribui poſſe autumet. Sed & (2) vi ſtupratas, quippe quæ, cum pudicitiæ ut virtuti animi vis nulla poſſit inferri per eleg. tex. *in pr. & can. 1. cum ſqq. c. 32. q. 5.* pro virginibus haberi debent, nec ea propter etiam cogi poſſunt ut ſertum virginitatis ſignum deponant, peplumque imponant. Quod, inſuper habito diſſenſu Carpzovii *de Jur. fœm. ſing. dec. 1. poſ.* 10. cum Berlichio *p. 5. concl. 47. n. 67.* Neuhanio *Tr. de Priv. vid. m. 1. th. 6. lit. A.* & Fr. Pfeil *Conſil. 147. concl. 2. in fin.* ſequentia verba ſubjiciente, affirmamus. Dieſem allen nach halte ich dafür / daß die genothzüchtigte nicht weniger denn ob ſolches nicht geſche-

geſchehen / in Jungfräulichen Schmuck und mit dem Kranz offentlich gehen / und nicht als eine geſchwächte Dirne / oder Hure / mit dem Schleier gedeckt werden möge. V. R. W. Imo etiam (3) meretrices & voluntarie ſe ſtuprari paſſas. Quanquam ex æquitate canonica, qua meretricem e lupunari in uxorem ducere meritorium exiſtimetur opus per *c.* 20. *x. de ſponſal:* has quoque viduarum juribus dignas eſſe cum Pontificiis Interpretibus aſſerat Menoch. A. J. Q. *caſ. 66. n.* 25. Petr. Gregor. 10 *ſynt.* 2. (4) Inſuper ex inceſtis ſ. injuſtis nuptiis protruſas, quia contra leges contrahentes nec liberos, nec uxorem, nec virum, nec nuptias nec matrimonium habere intelliguntur per §. *pen. J. de nupt. l. 6. C. de interd. matr.* Excludantur (5) Concubinæ, quippe quæ dignitate ab uxoribus differunt, *l. 49. §. parvi. 4. ff. de Leg.* 3. Uxorem ſiquidem pleno honore diligi Papinianus *in l.* 16. §. *1. de his quæ ut indign.* Concubinam vero ſolo dilectu ab uxore ſeparari Paulus, *L.* 2. *ſent. t.* 20. aſſerit, vel etiam ſola animi deſtinatione, ceu idem *l. p. ff. de Concub.* refert. Cum itaque concubinatus matrimonium non ſit. C. J. A. *tit. de Concub. th.* 1. neque etiam vivente concubinario concubina uxoris titulo veniat, *l.* 144. *de V. S.* facile concludendum, eas nec viduæ nomine, eo mortuo inſigniendas, nec privilegiorum viduarum capaces eſſe. De quibus tamen ut ſoliciti pluribus ſimus eo ſuperſedeo, quod Concubinatus præter Jus divinum, & Jure Canonico. *c. nemo* 4. *c. meretrices.* 11. *cauſ.* 32. *qu.* 4. Panorm. & Dd. *in c inter opera* 20 *x. de ſponſal.* & Conſtitutionibus Imperii *Ord. Polit. de Ao.* 1530. *tit.* 33. 1548. *tit.* 25. & 1577. *tit.* 26. penitus ſit prohibitus.

Quid

Digitized by Google

Quid interim circa perſonas illuſtres concubinatum facto magis quam jure hodienum exercentes juris ſit, de eo videſis Excell. quondam Prof. Altdorff. Linkii diſputat. de matrimonio ad moganaticam contracto.

VI.

Simili ratione (6) nec ſponſam, cujus ſponſus ante copulam ſacerdotalem deceſſit, hic viduæ nomine comprehenſam volo. Licet enim ſæpe numero ſponſa uxoris nomine veniat Jure Divino Matth. 1. *v.* 20. Canonico *c. 6. & 9. cauſ.* 27. *qu.* 2. *c. ex parte 9. x. de ſponſal.* Item & Civili *l.* 74. *ff. de jure dotium leg.* 6. *pr. & §.* 1. *leg. 8. de grad.* ubi generi & nurus appellatione ſponſus & ſponſa continentur. Idque ex ea ratione, quia conſenſus non concubitus nuptias facit. *l.* 15. *ff. de Condit. & Demonſtr. l.* 4. *l.* 11. *ff. de Sponſal.* & ſicuti cingendus pro cincto *l. pen. ff. de Teſt. mil.* ita ducenda pro ducta, copulanda pro copulata habetur uxore, Gœdd. *tit. de. V. S. ad l.* 167. *n.* 4. *p.* 1002. præcipue in favorabilibus, Gail. 2. *O. 80. n.* 5. Hinc etiam ſponſalia de præſenti habentur pro vero matrimonio, *arg. c.* 25. *X. de Sponſ. & c.* 1. *cauſ.* 27. *qu.* 2. Suth. *d.* 2. *aph.* 9. Attamen exceptionem hæc merentur in iis, ubi concubitus pro forma requiritur ſubſtantiali matrimonii, & ſic mulier deſponſata prius uxor non eſt, quam in uſu mariti fuerit, Berlich. *p.* 3. *concl.* 25. *n.* 4. Pro forma autem ſubſtantiali ejus (ut ſponſi uxor & maritus proprie dicantur, conjugumque juribus utantur) deductio mulieris in domum mari-

mariti & conſcenſio lecti expreſſiſſime requiritur. *l. 24. C. de Nupt.* Freher. *de infam. lib. 3. c. 17. n.* 11. Wiſſenb. *p.* 1. *diſp. 44. th.* 2. Id quod etiam conſuetudine ſeu praxi hodierna obſervatur; Speciatim vero Reform. Francofurtenſi ad Mœnum *p. 2. t. 3. §. 5.* ita diſpoſitum reperitur: Wir ſetzen und ordnen auch/ daß alle Packt und Geding der Heyraths-Brief anders nicht vor kräfftig gehalten werden ſollen/ es ſeyen denn beyde Ehegemahl Chriſtlicher Ordnung nach öffentlich zur Kirchen gangen/ ehelichen beygelegen/ darauf einander Beywohnung gethan/ und alſo rechte Eheleute worden: Derowegen ob gleich der Bräutigam oder die Braut nach vollbrachtem Kirchgang (doch vor dem ehelichen Beylager) Todes verſchieden/ daß es doch vor keine vollkommene Ehe (ſo die Erbſchafft und andere Gewinn belangt) ſolle gehalten werden. Quod etiam Franconiæ plerisque in locis conſuetudinis eſſe teſtatur Wehner. *in pract. obſerv. verbo* Ehemann. & de Saxonia Land-Recht *lib.* 1. *art.* 41. *ibi*: und tritt in ſein Recht/ wenn ſie in ſein Ehebette tritt/ *& lib. 3. art. 45. verſ.* Das Weib iſt auch ihres Mannes Genoßin/ aller Ehre und Würdigkeit/ die der Mann hat/ zu hand als ſie in ſein Bette tritt/ *ibid. gloſſ. lit. E.* Schneidevv. *ad pr. Inſt. de hered. quæ ab int. def. ſub tit. de ſucc. int. vir. & uxor. n.* 21. Hinc eodem Sax. Jure ſponſo vel ſponſa ante nuptias decedente, ſuperſtes ex bonis defuncti ſponſi vel ſponſæ nil quicquam acquirit vigore ſtatuti, ut *Conſt. Elect. Sax. 19. p.* 3. expreſſis ſancitum reperitur verbis: Portionem ſtatutariam conjugi ſuperſtiti debitam perſonis

ſonis deſponſatis ante conſcenſionem thalami minime deferri. Carpz. *p. 3. c. 19. d. 1.*

VII.

Ex adductis ſatis ſuperque patet, ſponſam, cujus ſponſus ante copulam ſacerdotalem mortuus eſt, viduarum juribus haud dignam reputari. Sed hic quæſtio ſuboritur, quid de illa dicendum, quam ſponſus ante benedictionem decedens carnaliter cognovit? More enim praviſſimo & tantum non diabolico apud multos Chriſtianum nomen ore magis quam facto profitentes invaluit, ut deſponſationis tempore illicito jamjam coeant. Cujus immenſi peccati eam rationem, ne incantamenta malignorum & artes ſortilegæ, vulgo das Neſtelknipffen/ eis nocumento ſint, plerumque prætexunt, firmiſſimo indicio, diabolum ſe pertimeſcere, Deum nequaquam: cum tamen hujus ſolius ut Conjugii inſtitutoris ſanctiſſimi & puriſſimi, gratiam & benedictionem pura mentis corporisque caſtitate & ſanctimonia vitæ expetere, ipſis nil prius nilque antiquius eſſe debeat. In hac quæſtione autem decidenda eo reſpiciendum eſſe opinor, num gravida relicta ſit ſponſa, nec ne? & tunc poſteriori caſu, cum de occultis non judicet eccleſia, neque ſponſa propriam ipſa turpitudinem propalare præſumatur, neganda erit quæſtio, pro uxore enim per ſuperius tradita haberi non poteſt; priori autem caſu dicendum videtur, ſuperſtitem vere viduam fieri, earumque juribus uti. Cum ſponſalia de futuro etiam per concubitum tranſeant in veras nuptias, *c. 30. c. fin. X. de ſponſal. c. 3. X. de ſponſ. duor.*

We-

Weſenb. *in parat. ff. de ſponſ. in fin.* At enim vero cum ii, qui contra leges bonosque mores impingunt, melioris eſſe conditionis non debeant iis, qui parent, multo minus vero ex ſuo delicto lucrum captare *l. fin. in f. C. de rebus cred. l. 7. in. fin. C. de nat. liber.* communis Dd. eſt ſententia, ejusmodi ſponſam præpoſtero ordine & non expectata benedictione ſacerdotali concumbentem juribus viduitatis minime gaudere. Berlich. *p. 4. concl. pract. 25. n.* 37. & ab eo magno numero citati. Sed num partus talis poſthumus pro legitimo ſit habendus? non incongruè hic quæritur. Negandum id videtur ex antecedentibus, cum deſponſati proprie non pro conjugibus habeantur. Sed verior eſt affirmantium ſententia Mevii *p. 2. dec. 8.* Carpzovii *p. 3. c. 14. def.* 12. propter ſingularem liberorum favorem, & quia omiſſio benedictionis ſacerdotalis peccatum eſt parentum, liberis non imputandum, quæ adeo vera eſſe, ut ne quidem jus Canonicum *c.* 12. *X. qui fil. ſint legit.* refragetur. Hoppius *ad tit. de nupt.* autumat adcitans Struv. *S. J. F. c. 9. th. 3. n.* 13. & Förſter. *de ſucceſſ. ab inteſt. L. 4. c.* 8. *n.* 19. Præjudicium Carpzovii *d. l.* ita ſe habet: Hat ein Junger Geſelle Sempronius, ſo keine Eltern gehabt/ ſich mit einer Wittwen in heimliches Ehegelöbniß eingelaſſen/ und dieſelbe alſobald fleiſchlichen erkannt/ und geſchwängert/ immaſſen ſie dann ein Kind zur Welt gebohren. Ob nun wohl gedachter Sempronius, ehe und zuvor öffentliche Sponſalia vorgangen/ und die Ehe durch Prieſterliche Copulation vollzogen worden/ Todes verfahren/ da aber dennoch die geſchwängerte Wittwe/ daß ihr die Ehe verſprochen worden/ darthun und erweiſen

möchte/ ꝛc. So wird das von ihr erzeugte Kind für ein eheliches Kind gehalten/ und zu des Vatern Sempronii Verlassenschafft als ein rechter Erbe billig zugelassen. V. R. W.

VIII.

Amplius quæritur: Si sponsus post benedictionem, sed ante concubitum, decedat, num sponsa inter Viduas sit referenda? Resp. Si ipso nuptiarum die, post benedictionem Sacerdotalem, mortu' fuerit sponsus, nullum dubium esse, quin sponsa adhuc pro virgine haberi, virginalique habitu indui debeat, Carpz. *part. 3. c. 19. d. 11. n. 4.* & *5.* cum durum foret, ut loquitur Neuenhan *tr. de Jur. Vid. membr. 1. th. 6. lit. A.* citra omnem culpam, omneque commodum tantàm & mariti futuri & decoris virginalis jacturam facere. Sed si die post nuptias altero, vel tertio & amplius moriatur, tum demum Jure Canonico sponsam a conjugali congressu intactam se dicentem, pro virgine habendam, si id cum septima manu ejuraverit, *c. 5. X. de frigid. c. 28. caus. 27. qu. 2. c. 2. caus. 33. qu. 1. c. f. X. de frigid.* & *Malef.* Enim vero cum modus hic purgandi, ex antiquis Germanorum LL. desumtus teste V. Förstero *p. 2. de jurisd. Roman. Lib. 3. n. 126. p. 449.* penitus exoleverit, hodie aut sponsa pro uxore haberi, aut illa renuente, inspectio ventris institui debet. *arg. l. 1. ff. de ventr. insp.* alioquin præsumtio juris tam diu pro subsecuto militat concubitu, donec probetur contrarium, *arg. l. 14. C. de præs.* Gail. *2. O. 144. n. 6.* Menoch. *1. præs. 60. n. 2.* Bovius *de Statutar. præscript. gloss. 24.* Imprimis si suspiciones & indicia vel minima aut probabilia saltim adsint, hæc maxime locum

Digitized by Google

cum habet, cum dolus nemini patrocinari debet. *l.* 12. *de dolo mal.* nec quisquam ex suo delicto meliorem facere conditionem possit, aut præmium doli sui consequi, *l.* 31. *ff. de rec. arb.* Quæ & à Scabinatu Jenensi A. 1617. m. Jun. sponsæ suspectæ pudicitiæ per sententiam imposita fuit his verbis: So wird wider die Braut / die sich verdächtig erzeiget / mit der ventris inspection durch geschworne Hebammen billig verfahren. V. R. W. Licet non negem, optimum & decorum tunc ejusmodi sponsis esse, si ex modestia se pro Viduis gerant, nomenque defuncti sponsi in honorem ejus retineant, nisi spes futurarum nuptiarum vel alius emolumenti magni, iis oppido contrarium suadeat. Rarum non minus quam notabile est modestiæ exemplum, quod de conjuge Soceri Simonis Grynæi scribit Philpp. Melanchth. qui, mortua prima conjuge, narravit se duxisse viduam virginem, quæ undecim annos nupta fuerat frigido viro, nec ulli unquam hoc prius quam post mortem ejus secundo conjugi re ipsa patefecit.

IX.

Per verba: CUJUS MARITUS MORTUUS EST, porro §. 1. Viduam definivimus. Hic vero paucis monendum censeo, per mortem nos non aliam nisi naturalem intelligere, quæ ultima linea rerum atque meta est, ad quam omnes properamus. Hæc enim matrimonia solvere solet, hæc iis finem imponit 1. *Cor. 7. v. pen. c. fin. caus.* 31. *qu.* 1. Hinc nota in sponsalibus initis adhiberi solita mutuæ promissionis formula: Nichts soll uns scheiden als der Tod. Itaque præter naturalem mortem, neque spiritualis,

neque civilis, neque alia qualiscunque etiam separatio viduas vere efficit. Quod (1) attinet mortem spiritualem ea duplici modo dicitur contingere, vel ex delicto, quando quis excommunicationis fulmine percussus omni sacramentorum & hominum communione abstinere jussus est, Neuenhan. *membr.* 1. *th.* 4. *l. C.* vel ex voto monastico seu religionis ingressu *Nov.* 22. *c.* 5. priori casu, quemadmodum jus Civile ita & Canonicum nullum admittit divortium *arg. c.* 31. *x. de sent. ex com.* Ant. Cuchus *lib.* 4. *Inst. jur. can. tit.* 11. *circa pr.* posteriori casu jus Civile in *d. N.* 22. *c.* 5. & *N.* 117. *c.* 12. indistincte nuptias dissolvere videtur, Jus vero Can. saltim sponsalia de præsenti, non vero per concubitum confirmata, disrumpi, etiam invita altera parte, disponit per *c.* 2. & 4. *x. de convers. conjug.* Marito enim vero regulariter non nisi consentiente uxore, eaque ipsa continentiam profitente permittitur monasterium ingredi vigore *c.* 4. 5. 6. & 9. *x. d. t.* Certe enim cum Protestantes monasteria non agnoscant, supersedeo plura addere. Nobis interim sufficiat, neque per mortem spiritualem apud ipsos etiam Pontificios viduitatem induci, vidisse.

X.

Sicuti vero spirituali morte non dissolvitur conjugium, ita (2) neque civili, quæ maxima & media capitis deminutione contingit; licet enim Jure Veteri, captivitate, ubi quis simul fit servus *l.* 8. *l.* 14. §. 1. *ff. de capt.* & *postl. reverf.* deportatione *l.* 5 6. *ff. Jolut. matr.* & servitute *Nov.* 22. *c.* 9. *l.* 24. *C. de don. int. V.* & *U.* diremta fuerint matrimonia: attamen novo Jure

hæc

hæc omnia penitus correcta videmus, tum quoad captivitatem non solum in *l.* 24. *C. de don. int. V. & U. Nov.* 22. *c.* 7. sed & *in N.* 33. *Leon.* & Jure Canonico *c.* 19. *x. de sponsal.* tum quoad deportationem *in N.* 22. *c.* 13. tum etiam quoad servitutem *N.* 22. *c.* 8. sublatam. Cui ut hodierna praxis sit contraria tantum abest, ut etiam banno Imperii, die Reichs-Acht/ quæ in locum deportationis ex communi Dd. calculo successit Hopp. *ad tit. de cap. dem.* §. 2. dissolutum non censeatur vinculum, Neuenhan. *m.* 1. *th.* 6. *lit. e.* etiamsi pro crimine læsæ Majestatis bannitus sit maritus, uti statuit Georg. Mund. *Vol.* 2. *cons.* 8. *n.* 140. Imo sunt qui putant non pauci, propter arctissimam consuetudinem *l.* 1. *ff. de rit. nupt.* ex qua pro una persona atque carne habentur conjuges Genes. 2. *v.* 24. uxorem, maritum sequi teneri, cum nihil tam humanum sit, quam fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse per *l.* 22. §. 7. *ff. sol. matr.* & sic Caini uxor post fratricidium commissum, maritum secuta est, tulitque partem calamitatum, teste Joseph. *lib.* 1. *antiqu. c.* 4. Quo etiam collimat nota dicendi formula: Daß sie in Freud und Leyd beysammen seyn und bleiben wollen. Sed cum durum foret unius delicto alterum etiam plecti *l.* 22. *C. de pœn.* atque sic mariti criminis infortunio uxorem adstringi *l.* 24. *C. de donat. int. V. & U.* equidem hodie ad sequendum conjugem moneri, non vero compelli potest uxor, ceu rectissime à Scabinatu Jenensi judicatum esse mense dec. 1616. his verbis conceptis: Als wird N. des Lands verwiesen: und sein Weib ihm zu folgen fleissig ermahnet/ kan aber doch wider ihren Willen darzu nicht genöthi-

nöthiget oder gezwungen werden / B. R. W. refert Neuenhan. *membr. 1. th. 6. lit. E.* Interim maritum sequi detractans, quamdiu supereſt relegatus vel bannitus, ſecunda inire vota prohibetur *c. 19. x. de ſponſal. c. 2. x. de ſec. nupt.*

XI.

Hæc cum ita ſint, multo minus (3) ſeparatione Conjugum, viduitatis jura conſtituuntur. Sive enim ſint corporibus tantum ſeparati conjuges, vel ad tempus, vel ad perpetuum, vel voluntario vel involuntario (quod fit e. g. ſi volente uxore maritus caſtra ſequatur, vel captivus retineatur) ſive etiam quoad thorum & menſam diviſi, (quæ ſeparatio, cum matrimonium ab initio ritè perfectum & conſummatum, nunquam per eam quoad vinculum conjugale diſſolvatur, Erneſt. Frid. Schröter *in not. ad Suth. aph.* 24. fit plerumque, ſi alter conjugum lepra, morbo gallico, furore, inſania ſit correptus, vel in hæreſin labatur, vel ad ritus gentilium ſe conferat, vel ſi inſidiæ paratæ dicantur vitæ alterutrius, vel maritus nimium in uxorem ſævire per domeſticos probetur &c. Sanchez *de matrim. lib.* 20. *diſp.* 18. *n.* 10.) ſive denique in totum quoad vinculum etiam publica authoritate divortium paſſi fuerint, quod fit propter adulterium commiſſum, vel Sodomiam, propter malitioſam deſertionem & propter impotentiam, ubi ad nova vota tranſire alteri permittitur parti innocenti utplurimum, omnes inquam, nequaquam Viduitatis juribus fruantor, nullo diſcrimine habito, ſive culpa mariti, ſive uxo-

ris

ris ſejunctio ſit facta, ſiquidem poſteriori caſu, cum nemo ex delicto ſuo lucrum captare debeat, *l. fin. C. de rebus cred. l. 7. in f. C. de natur. lib.* privilegia hæc ad illam tanquam indignam non pertinent, priori vero, ipſi vel ex bonis nocentis mariti vel novo matrimonio, vel aliunde proſpicitur.

XII.

Cognitis itaque iis mulierum perſonis, quæ vel Viduæ non ſunt, vel earum jurium ac privilegiorum participes non ſunt, facilis nunc erit definitio Viduarum Clericorum vel Profeſſorum, quam ſequentem in modum, brevem damus, quod ſint uxores, intuitu defunctorum maritorum in Eccleſiam ſcholasque meritorum, ſingularibus quibusdam juribus gaudentes. Vel paulo ampliorem: Quod ſint Uxores maritorum in eccleſiam ſcholasque meritiſſimorum ſolatio per mortem naturalem orbæ, atque hujus orbitatis horumque meritorum intuitu & commiſeratione & quibusdam ſingularibus juribus favoris plenis dignisſimæ. Ordo nunc poſtulat, ut eadem Jura penitius inſpiciamus: Ea autem ad tres referimus claſſes, vel enim Viduæ Clericorum & Profeſſorum gaudent (1.) juribus fœminarum communibus, vel (2) viduarum communibus, vel denique (3) earum propriis ac ſingularibus.

CAPVT II.

agit de Juribus, quæ Viduæ Clericorum & Professorum cum reliquis fœminis habent communia.

I.

COmmunia itaque Jura fœminarum spectari possunt I. quoad Jura in honoribus, muneribus & oneribus. Fœminæ itaque adeoque Viduæ nostræ ipsæ licet regulariter munerum civilium non sint capaces, sed ab omnibus officiis publicis removeantur, *l.* 12. *§.* 2. *de Judic. l.* 2. *de R. J.* cum corporalia munera iis sexus ipse deneget *l.* 3. §. *3. de muner.* attamen quibusdam hæc in casibus pati exceptiones negandum non est; Ut ordine autem procedam, non hic operosis discutiam verbis quæstionem à Dd. toties quoties agitatam: num Mulieres rectè ad Imperium admittendæ? cum talia de Viduis Clericorum & Professorum ad regenda regna minime natis (licet quandoque Imperium in maritos teneant) quærere inane prorsus sit, & scopo nostro haud applicabile, sed 1) disquirendum hic venit, num mulieres ab officio Judicum excludantur? Quod, licet supra fœminas ab omnibus officiis publicis arceri dixerimus, & certum sit, Magistratum gerere & Judicem esse, munera esse publica sive officia publica & civilia simul *l. 78. de judic. l. f. C. de rec. arb. l. 5. in f. cum seq. de cap. minut.* affirmamus consulto cum Interpretibus in casu, primò, si mulieri hereditario jure in ditio-

Digitized by Google

ditionem aliquam ſuccedenti ex conſuetudine alicujus regionis competat jurisdictio, *C.* 4. *X. de arbitr.* ſecundò, ſi lex municipalis mulieri jurisdictionem largiatur, vid. Strauch. *diſſert.* 21. *aph.* 4. ubi exemplum adducit. Si itaque Viduæ Clericorum & Profeſſorum jurisdictione hoc modo potitæ fuerint, quin etiam judicare poſſint nullum eſt dubium. 2) Mulieres ad officium Procuratorum ſunt habiles, licet enim alienam defenſionem ſuſcipere virilis officii ſit, & ultra ſexum muliebrem, *l. 18. C. de Procur.* & Imperat. Juſt. §. 2. *Inſt. de Injur.* dicat: *Defendi uxores à viris æquum eſt, non viros ab uxoribus.* Inſuperque matronalis pudor non patiatur, fœminas virorum conventibus intereſſe, ne quidem ſuo nomine ſemper, multo minus alieno, *l.* 21. *C. de Procurat. l.* 1. *§.* 5. *ff. de poſtul.* attamen eas nihilominus nonnunquam ex decreto cauſa cognita Jure Civili admitti, certum eſt, ut ſi litem agant ſuam *l.* 4. *C. de Procurat.* aut pro Parentibus liberisve, quos morbus vel ætas impedit, aut qui non habent, qui eorum nomine agunt, *l.* 41. *ff. d. t.* Sic etiam Jure Canonico Abbatiſſa procuratrix pro monaſterio conſtitui poteſt, uti in *cap.* 4. *de confir. util & inutil.* diſpoſitum reperitur, licet non negandum, Jure Saxonico, quod hodierna praxis paſſim ſequitur, fœminas prohiberi prorſus ſuſcipere procurationes ſive in judicio ſive extra illud, ſed ut actus earum gerendi ſint validi ipſis eſſe curatores neceſſarios. 3) Singulari quoque jure tutela (licet hæc munus virile ſit, *l* 1. *C. quando mul. tut. offic. fung. poteſt*) liberorum Viduæ volenti defertur, *Nov.* 118. *c.* 5. *auth. matri & aviæ C. quando mulier tut. offic. fung. poteſt.*

Ambiens autem horum tutelam ſecundis nuptiis & SCto Vellejano renunciare debet, *dd. text.* Schneidevv. *in pr. Inſt. de teſt. tut.* Quod quidem olim mediante juramento fiebat *l. 2. C. d. t.* ſed hoc jure novellarum ei remittitur, ac ſimplici ejus promiſſioni in judicio factæ creditur, *auth. Sacramentum C. eod.* Ceterum hodie paſſim illud juramentum obtinet & ſpecialis formula jurisjurandi ordinationi Cancel. in Duc. Br. Lun. Wolfferbut. adjecta eſt, tit. forma Vormundes-Eyds/ den eine Mutter/ als legitima tutrix ſchwören ſoll. Moribus Sax. etiam bona adminiſtrant, & fructus exinde lucrantur, donec liberi adoleſcant, & ab iis ſeparentur, L. R. *art.* 11. *lib.* 1. etiamſi ipſis in adminiſtratione tutelæ Curator aſſocietur, Zanger *de except. part.* 2. *c.* 8. *n.* 96. Quæritur autem hic, ſi Pater teſtamento liberis non tutorem dederit, Matrem vero expreſſe ab ea prohibuerit, an nihilominus eidem tutela liberorum committi poſſit? quod etiamſi neget Juſt. Meyer *Coll. J. A. l.* 26. *tit.* 4. *n.* 1. affirmatur, Treutler *vol.* 2. *diſp.* 8. *theſ.* 3. Solis enim teſtamentariis cedit, *d. Nov.* 118. *c.* 5. *d. auth. matr. & aviæ.* 4) Singulari denique honoris beneficio ipſis proſpectum eſt fœminis, quod præter nomen mariti, omnes ejus honores atque dignitates Viduæ retineant, uti pluribus infra *Cap.* 3. §. 1. *n.* 2. demonſtratum dabimus.

II.

II. Quoad privilegia in Judiciis, quibus Viduæ cum mulieribus gaudent communibus; quorum (1mum) eſt, quod Judices eſſe certis in caſibus queant, uti modo in §. *anteced.* recenſuimus; (2dum) eſt, quod

Digitized by Google

quod ſui juris & Majorennes factæ indiſtincte res ſuas alienare & propriam cauſam in Judicio agere, uno verbo pro ſe, non vero pro aliis poſtulare poſſint, *l. 1. §. 5. de poſtul.* neque ullius Curatoris autoritate opus habeant, quod tamen Jur. Sax. correctum adeo eſt, ut ne quidem pro ſe poſtulare, vel in judicio quocunque etiam modo comparere poſſint, niſi id fiat per Procuratorem in litem, durch einen Kriegiſchen Vormund / Land-R. *lib. 1. art. 46.* Lehn-Recht *art. 68.* §. Jedoch ſolt ihr. Weichbild *art. 26.* qui etiam Viduis liberorum ſuorum tutelam gerentibus datur, Zanger *c. l.* (3tium) eſt privilegium *l. unic. quando Imperator inter pupillos vel alias miſerabiles perſonas &c.* de quo infra in *Cap. 3. §. 2. n. 5.* (4.) Mulieres cum in omnibus cauſis civilibus admittantur ad teſtimonium *l. 18. ff. de teſt.* etiam in criminalibus *l. 20. §. 6. qui teſt. facere poſſunt. l. 8. ff. ad Leg. Jul. Majeſtatis.* Hoc tamen habent honeſtæ mulieres, atque adeo Viduæ noſtræ privilegii ſingularis, ut in loco judicii propter teſtimonium ferendum comparere non teneantur, ſed Judex eas in propriis ædibus examinari curet, arg. *l. 15. pr. de jurejurand. l. 2. §. 1. C. de jurejur. propter calumn.* Rittershuſ. *ad Nov. 90.* Mulieribus Viduisque (5.) etiam jus in quibusdam cauſis ignorare licet, *l. 9. ff. & l. fin. C. de jur. & fact. ignor.* ex. gr. legata ob ignorantiam juris non amittunt, ſi ſibi aliquid adſcripſerint. *l. 15. §. 5. ff. ad Leg. Cornel. de falſis.* plures caſus vid. in *l. 1. C. de falſ. mon. l. 38. §. 2. ff. ad Leg. Jul. de adult. l. 1. §. fin. de edendo. l. 2. §. fin. de Jure fiſci. l. 8. §. 2. qui ſatisdare cog.* Inferunt exinde Dd. nonnulli, quod, etſi nemini rem ſuam

propria authoritate, quamvis errore ducto, occupare liceat *l. 7. C. unde vi.* Mulieres tamen, quæ id sibi licere putantes, hoc faciunt, à pœna excusentur. (6.) Beneficium item restitutionis in integrum, quod Jurisdictionis esse *ex l. fin. C. ubi & ap. quem cognit. in integrum rest.* constat, Mulieribus rectè competit. Hinc. Joach. Wibel. *de contract. mulier. §. 7. n. 112.* Judices admonet, ut faciles sint in infringendis mulierum contractibus, quia facilius quam viri decipiuntur. Si ergo metu, cum natura fœminæ timidiores sint maribus, Wesenb. *parat. ad tit. ff. quod metus causa. n. 3.* contrahat mulier, aut se suaque bona obliget, nihil agit: Itemque si vi vel dolo fuerit ad contrahendum coacta vel inducta, statim in integrum restituitur.

III.

III. Quoad jura mulierum in negotiis extrajudicialibus contractibus, obligationibus. Gaudent itaque viduæ nostræ, cum reliquis fœminis viduisque (1) non solum beneficio restitutionis in integrum, si ex contractibus, pactis &c. obligaverint sese, & exinde fuerint læsæ, de quo modo dictum. Sed & (2) memorando beneficio SCti Vellejani. Hoc privilegium favorabile *v. Comp. Lauterb. ad h. tit.* prohibet fœminas sponsionis in se suscipere onus vel alio quocunque modo intercedere, ne scil. exinde damnum sentiant & pauperiores fiant *l. 21. ff. ad SCt. Vellej.* Intercedere autem hic est recipere alienam quamcunque & cujuscunque obligationem, sive veterem sive novam, sive re sive verbis, vel quocunque alio contractu consistat. *l. 2. §. p. & ult. l. 8. §. 1. ff. l. 18. C. h. t.* Si itaque mulieres vel personam suam, vel bona

sua

ſua obligaverint, & exinde damnum ſenſerint, tunc vel ipſo jure iſta obligatio ſeu interceſſio nulla eſt, vel ſi valida eſt, (quod fit ſi inſtrumentum publicum á tribus teſtibus ſubſignatum deſuper ſit confectum *l. 23. §. fin. C. h. t.*) quoad effectum in totum reprobatur, ſive irrita redditur per SCtum hoc *l. 7. l. 16. inf. l. 23. ff. l. 9. C. h. t.* competitque eum in finem mulieribus SCti Vellejani exceptio, qua omnes actiones contra eas, ex interceſſionibus talibus inſtitutæ eliduntur. *l.* 8. *C. h. t.* Lauterb. *Comp. ff. cod. tit.* & ſicuti generaliter in omnibus interceſſionibus ſubvenitur hoc Senatus Conſulto mulieribus *l.* 1. *pr. l.* 2. *pr. & §.* 1. *ff. l.* 23. *§. f. C. h. t.* ita ſpecialiter etiam in iis pro marito, ubi perinde habetur ac ſi plane nulla interceſſio facta eſſet per *auth. ſiqua mulier. C. h. t.* Enimvero cum hæc pro viro interceſſio non ſit hujus loci, reſtat ut paucis videamus quibus in caſibus valeat fidejuſſio vel interceſſio pro extraneo facta. Ceſſat itaque exceptio SCti Vellejani (1) ſi callide & doloſe interceſſerit *l.* 2. §. 3. *l.* 23. 30. *ff. & l.* 18. *C. h. t.* (2) Si pretium interceſſionis acceperit, *l.* 23. *pr. &* §. 1. *C. h.* (3) Si poſt biennium repetierit interceſſionem *l.* 22. *C. h.* 4) Si pro aliis, ſed in effectu in ſuam utilitatem interceſſit *l.* 4. §. 1. *l.* 8. §. 1. *l.* 16. *pr. l.* 17. §. 2. *l.* 21. *pr. l.* 27. §. *f. ff. l.* 2. *C. h.* (5) Si de hoc SCto edocta eidem renunciaverit, *arg. l. pen. C. de pact. l. f.* §. *pen. ff. h. auth. matri & aviæ. C. quando mul. tut. off. fung. poteſt.* (6.) Si interceſſionem juramento confirmaverit, licet de beneficio SCti non fuerit certiorata, arg. *c.* 9. *x. de jurejur. l.* 1. *cum ſeq. auth. C. ſi adverſ. vendit.* Frantzk. *h. t. n.* 27. & 28. (7) Si fœminæ pro dote inter-

Digitized by Google

tercedant *l.* 12. *l. f. C. b. l.* 41. *pr. de jure dot.* ut & (8) Si pro ſervo manumittendo manumiſſionis pretium promittant *l. p. C. b.* (9.) Si apud minorem pro alio interceſſerint. *l.* 12. *ff. de minor.* tunc enim privilegium ætatis eſt potius Vellejano Bartolus *ad d. l.* 12. *in f. de minor. l.* 32. *pr. b.* (10.) Si creditori ignotum ſit, ab initio mulierem interceſſiſſe *l.* 4. *pr. l.* 11. 12. 17. *pr. l.* 19. §. *f. l.* 28. §. 1. *b. t. l.* 1. *C. b.* (11.) Si ſtatuta & jura contraria adſunt Hahn. *ad b. t. in f.* ſic Noribergæ mulieres mercatrices, die zu offnen Kram und Laden ſitzen/ omnes contractus legitime ineunt, valideque intercedunt, Reform. *Noric. Tit.* 28. *leg. f.* Hujus porro SCti tantus eſt favor ut non ſolum mulieribus pro alio intercedentibus earumque hæredibus *l.* 20. *C. h.* Sed etiam earum fidejuſſoribus competat hoc privilegium *l.* 16. §. 1. *b.* imo & procuratoribus eorum *l.* 30. §. 1. *b.* aliisque qui mandato mulieris interceſſerunt, & pignus dederunt, *l.* 6. 7. *ff. b. l.* 2. *ff. quæ res pign. vel hyp. dat. oblig. non poſſ.*

IV.

IV. Quoad Jura in carceribus torturis & pœnis. Cum natura ad vitia ſimus procliviores, cumque ſecundum effatum Solonis : Nemo ante obitum ſit beatus, & unicuique contingere poſſit, quod cuique; idcirco nulli, Viduis Clericorum & Profeſſorum non peccandi privilegium, vel delictorum veniam, vel immunitatem à tortore (uti loquimur) aſſerenti concedimus. Accidit enim & accidere poteſt, ut innocentibus etiam ſæpenumero proceſſus criminalis nobis decernatur, ſi ſuſpicionibus gravamur fortibus. licet falſis, cum ſecundum externa ſaltem judicet

Judex

Digitized by Google

Judex indicia. Cum autem Reip. interſit, ne crimina maneant impunita *l.* 13. *ff. de offic. præſ.* mulieres ſicut & mares pœnis ſubjaceant, oportet, hoc tamen illæ habent ſingulare, quod plerumque mitius puniantur. *l.* 5. §. 3. *C. ad L. Jul. Maj.* & propter imbecillitatem magnum in pœnis habeant favorem. Siquidem (1) non incarcerantur ob cauſas civiles & pecuniarias ſeu debita, quod privilegium ipſis Juſtinianus ſideo à Petro Greg. Tholos. & Laur. Valla uxorius dictus, præcipue cum & *Nov. 8. c.* 1. conjugem ſuam Theodoram reverendiſſimam dixerit,) *in Nov.* 134. *c.* 9. munificentiſſime impertiit, hinc deſumta *auth. hodie C. de cuſtod. reor.* Matth. Weſenb. *parat. de ceſſion. bonor. n.* 3. *in f.* Quod Dd. ita communiter interpretantur, ut idem dicendum ſit, licet mulier vel vidua ſpeciali pacto ſe ad carcerem obligaverit, Matth. Coler. *de proceſſ. exec. p.* 1. *c.* 6. *n.* 109. Carpz. *p.* 2. *c.* 21. *d.* 8. (2) Torturæ non ſubjiciuntur negantes, ſi ſint prægnantes vel puerperæ, vel partum adhuc lactent: ad quæ tria Scabinos Lipſ. optime reſpexiſſe teſtatur Carpz. *p.* 3. *c.* 118. *n.* 58. Es wird aber die ſcharffe Frage/ weil die Gefangene ſchwangers Leibes iſt / biß ſo lange ſie ihrer weiblichen Bürden entlediget/ und des Kindes geneſen auch die 6. Wochen um ſeyn/ billig eingeſtellt/ und hernach dermaſſen verrichtet / daß auffm Fall ſie ihr Kind ſelbſt nehret/ demſelben an Nahrung kein Abbruch geſchehe. Quemadmodum autem torturæ non ſubjiciuntur negantes ſi ſunt prægnantes &c. ita multo minus confeſſæ & convictæ (3.) pœnam mortis ſuſtinent, ſed executio, ſicuti tortura, differenda eſt, ne fœtus cum ipſa ma-

tre extinguatur & pereat *l. 3. ff. de pœnis l. 18. ff. de ſtatu hom.* Struv. *exercit.* 3. *theſ.* 3. *in f.* Etiamſi prægnans ſit unius diei vel in ipſo carcere illicito coitu prægnans facta ſit, Gothofredus ad *d. l. 3. de pœnis* Carpz. *p.* 3. *q.* 118. *n.* 54. & 55. ita ſimiliter Scab. Jenenſ. 1646. reſponderunt: Vor der Execution iſt zuforderſt durcherfahrne und geſchwohrne Medicos und Hebamen ob N. N. ſchwanger ſey/ gewiſſe Erkundigung einzuziehen/ und wofern ſich die Schwängerung befindet/ die Todes-Straffe biß nach der Geburt zu differiren/ dieſelbe aber immittelſt in leidlicher cuſtodia zu behalten/ Richter *p.* 1. *d.* 7. *n.* 4. *(4)* Nec fuſtigatione puniatur prægnans rea ſi ad medium pariendi tempus pervenerit, quia facile abortus ſequi poteſt; in prægnante autem per paucos ſaltem dies ſeptimanasve, non differenda eſt fuſtigationis executio, cum ceſſet ratio nimirum metus periculi partus. [5] Mitior eſt ſententia in filiabus reorum criminis læſæ Majeſtatis quam in filiis. Cujus criminis tanta eſt atrocitas, atrocitatisque tanta eſt pœna ut non ſolum reus gladio feriatur, bonis ejus fiſco addictis, ſed & filii inaudito plane juris exemplo pœnam criminis luant paterni. *l.* 5. *pr.* & §. 1. *ad Leg. Jul. Majeſt.* Memorabilia hujus privilegii in *d. l.* 5. *§.* 1. verba operæ erit pretium hic adducere integra: *filii vero ejus, quibus vitam Imperatoria ſpecialiter lenitate concedimus, (paterno enim deberent perire ſupplicio, in quibus paterni h. e. hæreditarii criminis exempla metuuntur) à materna vel avita omnium etiam proximorum hæreditate ac ſucceſſione habeantur alieni, teſtamentis extraneorum nihil capiant, ſint perpetuo egentes & pauperes,*

peres, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos prorsus honores, ad nulla Sacramenta perveniant: sint postremo tales, ut his perpetua egestate sordentibus, sit & mors solatium & vita supplicium. Et licet alias delicta teneant suos autores *t. t. C. ne filius pro patre.* Attamen hujus atrociſſimæ pœnæ ea eſt ratio, quod in filiis metuantur exempla paterni & hæreditarii criminis, quaſi ejus ſemina in ipſos propagata ſint; uti documentis hodiernæ hiſtoriæ non unis probatum iri poteſt. Hæc cum ita ſint, cumque duriſſime Maſculi hoc in crimine habeantur, attamen fœminæ nihilominus hic excipiuntur; quippe filiabus falcidia ex bonis matris conceditur, ſic enim habetur *l. 5. §. 3. ad filias ſane eorum quotlibet numero fuerint falcidiam tantum ex bonis matris, ſive teſtata ſive inteſtata deceſſerit, volumus pervenire, ut habeant mediocrem potius filiæ alimoniam, quam integrum emolumentum ac nomen heredis. Mitior enim circa eas debet eſſe ſententia, quas pro infirmitate ſexus minus auſuras eſſe confidimus.* Cum quo ex aſſe convenit Aur. Bull. *c.* 24. Amplius (6) Fœminæ ſ. viduæ præ viris privilegium habent, in crimine adulterii, ubi Juſtinianus equidem imprimis utrique adulteranti tam viro quam uxori ab initio gladii pœnam dictavit. §. 4. *J. de publ. Jud. junge l.* 30. *in f. C. ad Leg. Jul. de adult.* attamen in mulieribus eam poſtmodum novo jure ita correxit mitigavitque, ut loris fuſtibusque caſtigatæ in monaſterium detrudantur in perpetuum, niſi mariti intra biennium ipſis ignoſcere & recipere eas velint. *auth. ſed hodie C. ad L. Jul. de adult.* Quod adhuc hodienum in terris Saxoniæ obſervatur. Matth. Weſenb.

paratit. de Adult. n. 19. verſ. Saxones apud quos. Deficientibus à monaſteriis virgis cæſæ in perpetuum mittuntur exilium Matth. Coler. *p.* 1. *d.* 176. *n.* 10. *& ſeqq.* Matth. Berlich. *p.* 4. *c.* 27. *n.* 25. Carpz. *p. 4. c.* 19. *d.* 1. *inf.* Richter. *d. 88. n.* 88. ubi tale præiudicium: Da die Gefangene geſtändig / daß noch nicht 5. Jahr verfloſſen / da ſie ſolche Ober Hurerey getrieben / und H. H. auff obgedachten ſeinen Bekändtnuß willig verharret / ſo wird er wegen ſolcher Oberhurerey mit dem Schwerdt vom Leben zum Tode gerichtet ; aber die verhaffte B. T. iſt mit Staupen-Schlägen der Herrſchafft ewig zuverweiſen / V. R. W. vid. Carpz. *p.* 2. *q.* 53. *num.* 31. ubi ſimile præiudicium adduxit. Favorabili item beneficio ſubvenitur porro (7) virginibus, viduisque in cauſa ſtupri. Jure enim divino Exod. 22. *v.* 16. *&* 17. & Deuter. 22. *v.* 28. *& ſeqq.* itemque Jure Canonico *c.* 1. *x. de adult.* vel dotentur vel ducantur, cum quo concordat Nov. El. Auguſt. Conſt. 27. *p.* 4. ubi. Da eine ledige Manns-Perſon eine Jungfrau oder unberichtigte Wittwe beſchläfft / und er (wie doch billig geſchiht) dieſelbe zur Ehe nicht nehmen will / ſo ſoll er ſie ihres Stands und Herkommens nach dotiren / und da ſie von ihm Leibes-Frucht hat / dieſelbe auff gerichtliche Ermäſſigung alimentiren / nec non hodierna praxis. Qualis interim iure civili ſtupratoribus pœna ſit ſtatuta, pete ex *§.* 4 *J. de publicis Jud.* Etſi vero mulieres viduæque ſtupratæ enumeratis beneficiis gaudeant, tamen pœna aliqua nihilominus afficiendæ ſunt per *l.* 13 *ff. de Offic. Præſ.* Sed mitiori quam ſtupratores, carcere nimirum vel temporali relegatione. Cæterum de ſtupro violento aliud

erit

erit dicendum, cuius pœna gladii est Ord. Crim. Carol. *art.* 119. Land-Recht *Lib. 2. art.* 13. [8] Favorem in criminalibus specialem mulieribus competentem licet quidam autument, quod eas non suspendi in causa furti, sicuti masculos, sed insutas aquis suffocari iusserit Imp. Carol. V. *art.* 159. *Ord. Crim.* nescio tamen quænam sit durior pœna, licet suffocationem plurimi mitiorem arbitrentur: Quæ quidem hodie rarissime obtinet, sed loco illius gladii. Jure Saxonico certe alibique suspendii pœna indistincte in maribus æque ac fœminis ob furtum commissum locum habet, Land-Recht *art.* 13. *Lib.* 2. *Elect. Const.* 82. Potius favorabilius in viduis beneficium ratione furti autumo in eo casu, si durante matrimonio aliquid furatæ marito fuerint, tunc enim post ejus mortem non furti tenentur, sed saltem rerum amotarum judicio à mariti hæredibus conveniuntur *l.* 1. *& 2. de act. rerum amot.* quamvis à Magistratu extra ordinem, mitius tamen coerceri possint. Wesenbec. *paratit. ff. de furtis. n. 5.* Secus si soluto matrimonio furatæ fuerint, tunc enim ab hæredibus actione furti omnino conveniri possunt *l.* 3. *pr. de act. rer. amot.* Tandem [9] in puncto raptus iterum favorabilis est Imperator Justinianus, virginibus, matronis honestis, viduisque, dum in *l. unica C. de raptu virg.* in raptorem non solum pœnam mortis statuerit, sed & omnia raptoris bona virgini vel viduæ attribuerit. Jure Canonico tamen permittitur, si velint inter raptorem & raptam matrimonium, *in c. ult. & pen. de raptor.* quo casu remitti tunc solet pœna capitalis, quod & hodie receptum, Scheidewino te-

ſte ad §. 10. *J. de publ. Jud. n. 3.* & Carpz. *p. 2. qu. 75. num. 68.* nec non Schilter. *Exerc. 49. ad ff. §. 105. in fin.*

CAPVT III.

Jura proponit Viduarum Clericorum & Profeſſorum, quæ ipſis cum reliquis Viduis ſunt communia.

I.

JUra Viduarum communia nunc recenſenda. Singulare itaque beneficium 1) eſt, quod cum conſuetudine hodierna filia nubens exeat è poteſtate patris, tranſeatque in tutelam maritalem. *Gen. 3. v. 16.* Carpz. *de Jure fœm. ſing. decad. 1. poſ. 2. n. 4.* Vidua tamen facta non recidat in patriam poteſtatem per *l. 12. de adopt. l. 6. C. de ſent. paſſ.* ſed a poteſtate mariti liberetur ſuique juris efficiatur. 2) quod retineat non ſolum nomen & familiam, ſed & dignitatem, conditionem & honores mariti, *l. 8. ff. de Senat. N. 22. c. 36. l. 13. C. de dignit. l. ult. C. de incol, l. 6. de Profeſſ. & Med.* quia fictione quadam juris matrimonium adhuc ſtare cenſetur Perez *ad tit. C. de dignitat. N. 55.* diciturque illa eſſe in familia mariti proxime defuncti, repræſentatque imaginem ac jus defuncti mariti, Baldus *ad L. pignoris 11. C. de pignor. act. n. 2.* Gœdd. *in comm. ad l. 195. §. fin. de V. S.* hinc reverentia ipſi a liberis præſtanda, Sutholt. *diſſ. 2. aph. 6.* cum jus parentum commune habeant fœminæ, licet non patriam pote-

poteſtatem in liberos. §. 10. *J. de adopt.* Jura Viduarum communia conſiſtunt 3) porro in adoptione. Licet enim regulariter adoptare prohibeantur §. 10. *J. de Adopt. l.* 5. *C. eod.* quia neque naturales liberos habent in poteſtate. *d.* §. attamen ex ſingulari gratia Princeps in ſolatium liberorum amiſſorum iis hoc permiſit *d.* §. 10. *& l.* 5. *C. de Adopt. l.* 29. §. 3. *ff. de inoff. teſt.* nec intereſt quicquam, utrum liberi in acie, an vero in otio mortui fuerint. Schneidevv. *ad d.* §. 10. *n.* 6. Huic adoptioni ſimilis eſt hodie moribus recepta unio prolium, die Ein-Kindſchafft/ quam Viduæ etiam ad ſecunda vota tranſeuntes facere poſſunt, autoritate tamen magiſtratus, & Judicis competentis exacta cauſæ cognitione, & publica inſinuatione interveniente, præſentibus & conſentientibus ipſis liberis uniendis, aut eorum nomine tutoribus vel curatoribus & conſanguineis, qui provideant, ne res ad concordiæ vinculum comparata diſcordias inter liberos excitet in nimia facultatum inæqualitate, Gail. 2. *obſ.* 125. 4) In tutelæ munere, de quo pluribus ſupra *cap.* 2. §. 1. *n.* 3. actum.

II.

Et 5) in privilegio ratione citationis & appellationis ipſis ſingulariter conceſſo a Conſtant. *in l. unic. C. quand. Imp. inter pupill. &c.* qui illius, quod pupillis aliisque miſerabilibus perſonis indulſit, viduas etiam participes fecit. Conceſſit enim primò, ut Viduæ adverſarios ſuos convenientes, poſſint ſtatim in prima inſtantia, omiſſo judice inferiore curiam Principis adire, ſecundò ut Viduæ citatæ ad curiam Principis,

cipis, cognitionem ob ſumptus & alias moleſtias declinare ac deprecari poſſint, nec terminos provinciarum ſuarum egredi teneantur. Licet hodie per pactum inter ſtatus & Imperatorem, Principes Imperii Viduarum aliarumque miſerabilium perſonarum cauſas, intermedio Judice non omiſſo, decernant, proceſſusque in Camera aliter non inſtituatur, niſi in caſu denegatæ vel protractæ juſtitiæ, tamen ad Statuum & Principum Imperii ſumma tribunalia, inferiori judice prætermiſſo, eas etiam extra caſum denegatæ juſtitiæ adhuc immediate confugere poſſe, atteſtatur Carpz. *lib.* 2. *Reſp. Elect.* 19. Neuenhan *membr.* 3. *ſect.* 5. *lit. D.* Nihil enim obſtat, quo minus Status Imperii prædictam Imperat. Conſtantini ſanctionem in ſuis terris in uſum revocare poſſint, uti tradit Hilliger ad Donell. *lib.* 17. *c.* 20. *lit. D.* Sed non incongrue hic quæritur, an dictæ Perſonæ privilegiatæ poſſint uti ſuo privilegio contra Perſonas alias privilegiatas? quod non obſtante Chriſtineo *vol.* 2. *deciſ.* 166. *n.* 7. negandum, propter vulgarem regulam, privilegiatus contra æque privilegiatum non utitur jure ſuo, *arg. l.* 8. *de Excuſ. l.* 12. §. 1. *C. qui pot. in pign. l.* 11. §. 6. *de Min.* Quando itaque duo privilegiati concurrunt, tunc pro privilegiatis non habentur, *arg. dd. LL.* proinde Actor privilegiatus Rei æque privilegiati forum ſequi tenetur, Covarr. *c.* 6. *n.* 4. *& ſeq.*

III.

Jura Viduarum communia conſiſtunt porro 6) in Dote, in der Mitgifft / Mitgab / Heyrath-Gut / quæ Viduæ debet marito defuncto reſtitui, & quidem

dem res mobilis intra annum, res immobilis autem ſtatim a tempore mortis mariti, *l. unic. §. 7. verſ. exactio. C. de R. U. A.* i. e. poſt decendium, *auth. Sed neque C. de ſepul. viol.* Interea temporis Vidua, ſi inops ſit, ab hæredibus mariti ali debet. Weſenb. *paratit. ff. ſol. mat.* præcipue ſi illi in ſolvendo moram committant, quæ mora aliàs fructus dotis ipſis percipere injuſte faceret. Neuenhan *memb. 2. ſ. 15. lit. A. & m. 3. ſ. 1. lit. C.* Competit eapropter Viduis tacita hypotheca in omnibus mariti bonis, *l. unic. §. 1. C. de R. U. A.* Et quidem cum privilegio prælationis, ut omnibus aliis creditoribus etiam anteriora Jura habentibus in concurſu præferantur, *l. 30. C. de. jur. Dot. l. f. §. 1. C. qui pot. in pignor. Nov. 97. c. 3. Nov. 109. c. 1.* Sed num hodie etiam mulier ſive Vidua ratione dotis omnibus præferatur mariti Creditoribus, etiam expreſſam anteriorem hypothecam habentibus? quæſtionis eſt: Plurimi putant ob *d. l. f. C. qui pot. in pign.* Affirmantium ſententiam conſuetudine receptam eſſe, uti aſſerit Ant. Gomez. *ad l. 50. taurin. 39.* Donell. *de pignor. tit. qui pot. in pign.* nec ab eo recedendum admonent alii citati à Petro Barboſa *in l. 1. n. 4. ff. de ſol. matr.* qui contrariam ſententiam probabiliorem eſſe ipſe contendit. Hoc amplius teſtatur Mynſing. *ad §. 29. n. 51. & ſeq. J. de act. & Cent. 4. O. 13.* dicens: poſt multam diſputationem hoc etiam in Camera Imperii obtinuiſſe. Sed verior eſt Negantium ſententia, cum privilegia unius in alterius odium non extendantur *l. 4. C. de emanc. lib. c. 11. X. de foro compet.* contrariumque in camera Imp. ſuis temporibus obſervatum fuiſſe contra Mynſingerum referat Gail.

2. O. 25. n. 10. Durum enim esset alicui id, quod sibi opera & cautione acquisivit, auferre, Carpz. *dec. 5. pos. 4. n. 21.* Hinc Ant. Faber *in Cod. l. 4. t. 8. def. un. n. 2.* ait: conditionem anterioris creditoris hypothecarii per dotem non posse fieri deteriorem, & Justiniani Constitutiones non amplius esse in usu. Quod etiam defendit Carpz. *p. 1. const. 28. d. 65. n. 15. & seqq.* approbatum *ab Elect. Sax. Augusti. Const. 28.* in verb. Nach diesem soll des Schuldners Eheweib/ mit ihrem eingebrachtem Gut/ so viel sie das erweisen kan/ allen andern Gläubigern/ so nicht eine ältere ausdrückliche Verpfändung haben/ vorgezogen werden. Sed si mulier hoc privilegio gaudere velit, necesse est, ut dos revera illata & numerata sit, *t. t. de dote cauta non numerata*, quæ illatio, quia facti est, à muliere probari debet *d. Const. Augusti* 28. verb. So viel sie das erweisen kan. nec sufficit confessio mariti, hac enim sibi ipsi & suis heredibus, non vero creditoribus suis nocere potest maritus, Mynsi. *cent. 1. O. 16. & 13.* Gail. *L. 2. O. 81. n. 2.* Tandem cessat hoc prælationis privilegium, si mulier eidem renunciaverit, *l. 11. 21. C. ad SCt. Vellej.* Zanger *tr. de except. p. 3. c. 11. n. 41. & seqq.* 7) In bonis paraphernalibus, & 8) in donatione nuptiali sive propter nuptias, in Gegen-Vermächtniß oder Wiedergeld/ quæ mulieri in remunerationem dotis constituitur, Viduæ similiter habent tacitam hypothecam, *l. 12. §. 2. C. qui pot. in pign. N. 97. c. 3.* sed non jus prælationis *d. l. 12. §. 2.* Mynsi. *C. 5. O. 4.* Imo in foro Saxonico receptum, ut propter hanc donationem saltem inter chirographarios referantur *Ord. Jud. Elect. Sax. t. 43. §.* So viel dann ꝛc. Carpz. *p. 1. c. 28. def. 91. & p. 2. c. 24.*

Digitized by Google

c. 24. def. 6. Simile hypothecæ jus, sine prælatione tamen 9) Vidua habet in dotalitio, donario, dotario sive victalitio, in Leib-Geding/ Leib-Zucht/ Leib-Gut/ Witthum/ quod species quædam donationis propter nuptias est, Boc. *c.* 11. *n.* 4. Wibel *de contract. mul. c. 3.* §. 2. *n.* 106. Neuenhan. *m. 2. f.* 6. *lit. B.* & propterea ita vocatur: Daß solche Vermachung mit dem Gedinge aufgerichtet/ daß dieselbe die Frau auf ihr Leib und Leben haben soll/ und weiter nicht/ denn sie mag dieselbe zu eigen nicht behalten/ Land-R. *lib.* 1. *art. 32.* de quo videsis Rothschitz *Tr.* vom Leib-Geding. Lucratur porro 10) Vidua arrhas sponsalitias, Germ. Hand-Treu/ Mahl-Schatz/ in symbolum promissi & implendi matrimonii datas secundum consuetudinem plerorumque locorum Laimann. *in Theol. moral. l.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 8. Surd. *decis.* 116. *per tot.* qui idem obtinere 11) in specie de annulo nuptiali, qui in benedictione sacerdotali dari solet, asserit. Sic etiam 12) lucratur sponsalitiam largitatem, quæ fit a marito ad amorem conciliandum, Perez *in tit. C. de donat. ante nupt. n.* 11. Lauterbach. *tr. de arrha th.* 79. Item 13) Dona nuptialia, die Brauttaffel-Gelder/ quæ ab amicis noviter nuptis offeruntur, Carpz. 3. *c.* 22. *d.* 1. 2, pro dimidia parte Hahn. ad Wesenb. *p.* 2. *pag. 242.* Similiter accipit Vidua 14) Morgengabam sive Morganaticam, die Morgengabe/ quæ dupliciter accipitur vel *latè* pro certis quibusdam bonis post mortem mariti viduæ debitis, nimirum pro pecudibus fœmellis, Land-R. *lib.* 1. *art.* 34. *post pr.* Alles Feld-gängige weibliche Viehe/ Kühe/ Kälber/ Ziegen/ Feld-gängige Schweine/ unbefüllete Mutter-Pferde/ die alle Tage

zu Felde lauffen / und man noch nicht angespannt hat: masculini vero sexus huc non pertinent, ceu resp. *Lipf. M. Jun. A.* 1543. ibi: So wohl anderer männlichen Thiere hat sich die Wittwe als Morgengabe nicht anzumassen/ vel *stricte* pro dono gratioso, quod consistit vel in torque aureo vel alio clinodio, vel etiam certa pecuniæ summa Gloss. *ordinat.* Land-R. *lib.* 1. *art.* 2. *n.* 7. in virginitatis præmium sive primæ noctis præmium dato, Cuj. 2. *feud. c.* 9. Weichbild *art.* 22. describit ita: Morgengabe ist eine solche Gabe / die ein jeglicher Mann von Ritters-Art seinem Weibe gibt des Morgens / wenn er mit ihr zu Tische gehet. Ut & 15) vestimenta sive ornamenta muliebria, jocalia dicta, quæ in quibusdam locis sponsæ à socero vel sponso mittuntur, ut eo ornatior ad eum deducatur Neuhan. *m.* 3. *f.* 3. *lit. B.* Quid obtineat in vestimentis, quæ constante ei donavit matrimonio, vide apud Gail. 2. *O.* 91. Lucratur 16) munera natalitia & xenia, si sunt modica, & quicquid maritus ei constante matrimonio donavit sive donatio ista firma per se fuerit, sive morte mariti confirmata. 17) De Jure Saxonico etiam Vidua porro accipit Cibaria domestica s. comestibilia, das Mußtheil/ pro dimidia parte, quæ in ædib' mariti post tricesimum diem reperiuntur, etiamsi non pro unius, sed plurium annorum necessitate sufficiant. Georg. Schultz *in parat. Const. Div. August. Elect. Sax. lib.* 3. *Constit.* 36. ita Cibaria describit: Die Helffte aller Hof-Speise/ welche zur Zeit des Mannes begebenen Todes-Fall vorhanden gewesen und nach dem dreyßigsten Tag überblieben/ als nemlich/ von allem Fleische/ gesaltzen und ungesaltzen / von gemästen

Schwei-

Schweinen/ ſo zerhauen und zerlegt / Speck-Seiten/ Hechte/ Karpen groß und klein/ was vor die Haushaltung im Kaſten/ Reuſen oder Haltern/ nicht aber in Teichen geſtanden. Item: Würſte/ Heeringe/ alles Getränckе/ Wein und Bier/ Kofend/ alles Getreidig an Korn und Weitzen/ es ſey getroſchen oder nicht/ auffm Boden oder in der Scheunen. Item: Erbſen/ Hirſen/ Graupen/ Rübeſaam ſo eingeſammlet. Item: Butter/ Schmaltz/ Käſe/ Honig und allerley genießlicher Vorrath/ ſo zu eſſen und zu trincken dienet. & denique de eodem jure 18) Geradam, das Geräthe/ unde etiam Hausgeräthe/ quae conſiſtit utplurimum in veſtimentis, linteamentis, mundo aliisque ad muliebria pertinentibus rebus mobilibus. Licet adhuc varient Jura & Collegia Saxonica, in quibus proprie rebus conſtat. Neuhan. *m.* 4. *tb.* 3. *lit. b.* Hanc transmittere dicitur maritus ad uxorem poſt mortem ejus, Schürer *de Succeſſ. ab inteſt. tit.* 4. vom Unterſcheid der Güter. Goldbeck *de ſucceſſ. Gerad. Sax. c.* 1. *n.* 4. etiamſi eam ipſe conſtante matrimonio in uſum familiaris rei comparaverat. Quae omnia ac ſingula cum poſt mortem mariti plerumque & ex conſuetudine locorum, praecipue Saxoniae, Viduae, cumprimis Nobiles, ſibi faciant & acquirant propria, adeo ut etiam in iis omnib' recenſitis bonis tacitâ habeant hypothecam. Neuhan. *m.* 3. *f.* 3. *lit D. in fin. per l. fin. C. de pact. conv. l.* 29. *C. de jure dot.* non tamen cum praelationis privilegio; attamen negandum non eſt, omnium primò in hiſce caſibus ad pacta dotalia reſpiciendum, illique praeterea, quod inter conjuges teſtamento actum eſt, ſtandum eſſe. Licet de cetero Profeſſores, cumprimis vero

Clerici, quorum nil nisi liberos & libros relinquere proprium quasi est, utplurimum vel nullas vel non adeo divites accipiant dotes, neque eapropter etiam remunerationes vel alia dona matrimonialia frequenti sint apud illos in observantia; cum tamem exempla veritatis luculentissimae documenta licet rara, & per haec contrarium orbis nobis exhibeat hodie Christianus, Professoresque, imprimis JCti, saepenumero ob insignia eorum merita, Nobiles creentur, ipsique feuda nobilia aliaque praedia possideant, non ausim haec privilegia praecipua eorum Viduis penitus in dubium vocare.

IV.

Consistunt denique privilegia viduarum communia (19) in successione. Succedunt enim viduæ deficiente omni sanguinis linea, i. e. deficiente omni liberorum, parentum & propinquorum legitima vel naturali successione, ex *l. un. C. unde vir. & ux.* Praetor enim æquitatis semper amans, iis, fisco excluso, dedit bonorum possessionem intra centum dies utiles petendam *§. 4. J. de bon. poss. l. 3. ff. unde cognat. l. 2. C. qui admitt. ad bon. poss.* Quam successionem praetoriam deinceps confirmarunt Imp. Theodos. & Valent. *in d. l. un. C. unde vir & ux.* Sed hodie cum plerumque testamenta conjugum vel pacta dotalia adsint, ea ante omnia attendenda; deinde singulares constitutiones & statuta vel mores loci inspiciendi; quod si tamen haec omnia non adsint, tunc demum recurrendum est ad *auth. Praeterea C. unde vir. & ux.* Treutler. *vol. 2. disp. 16. th. 6. lit. b.* Struv. *Exerc. 38. th. 39.* Est & alia (20) successio conjugum ex constituti

ſtitutionibus noviſſimis Juſtiniani, qua viduæ maritis ſuccedere poſſunt, etiam quando extant liberi vel ejusdē vel diverſi matrimonii, in caſu nimirum ſi maritus locuples decedat & vidua inopia laboret *Nov.* 117. *c.* 5. indeque deſumta *auth. Præterea C. unde vir. & ux.* Tunc enim vidua pauper quæ nullam unquam dotem intulit, tribus vel paucioribus liberis exiſtentibus uſumfructum conſequitur in quarta omnium bonorum parte, quatuor vero vel pluribus viventibus, in portione virili zu einem Kindstheil/ proprietate liberis reſervata. *d. N.* 117. *c.* 5. Si vero liberi ſine prole præmoriantur, ad matrem, non ad alios liberorum heredes, plena proprietas venit. Fachin. 10. *c.* 72. Idem erit dicendum, ſi prorſus nulli extant liberi, tunc enim præfertur vidua adſcendentibus & collateralibus in illa quarta, & ſtatim in ea etiam dominio proprietatis potitur *d. N.* 117. *& d. auth.* Struv. *Ex.* 38. *th.* 28. Perez. *in Cod. b. t. n.* 3. Quodſi autem mater præmoriatur, tunc uſusfructus revertitur ad liberos, & cum proprietate ſic conſolidatur ſeu conjugitur. Hoc privilegium etiam procedit, etiamſi dotem parvam intulerit, vel etiam legatum modicum acceperit, ex quibus tamen alimenta habere non poſſit, Berlich. *p. 3. concl. 26. n. 18.* tunc enim neque dos neque legatum in hanc portionem legitimam ſ. quartam imputari debet *d. auth.* Treutl. *d. l.* Hinc Judici incumbet diſquirere, quænam viduae hic pauperes haberi poſſint arg. *l.* 1. §. *f. de jure delib.* vix enim eſt, ut extrema hic ſemper requiratur paupertas. Breviter hic quaero: Si vidua divites habeat parentes, à quibus ei ſuccurri poſſit, an

tunc

tunc privetur hac successione, quod affirmandum censeo cum Hahnio ad Wesenb. *d. t. n.* 2. & Perez. *in Cod. eod. tit. n.* 4. Testamento etiam [21] viduae à maritis possunt instituì Neuhan, *m.* 3. *f.* 11. *l. A.* Imo prosunt iis etiam [22] pacta dotalia, modo non sint contra bonos mores *l.* 5. *& 6. ff. de pact. dotal.* utroque enim casu utplurimum iis optime prospici solet.

CAPVT IV.

Jura explicat Clericorum Professorumque viduis propria & singularia.

I.

ORdine nobis proposito nunc devenimus ad Jura Viduarum Clericorum & Professorum propria seu specialia, quae illas favore sat luculento à reliquis distinguunt Viduis. Cum itaque supra cap. 3. §. 1. n. 2. dixerimus, retinere viduas omnes mariti dignitates, quamdiu non nubant alii, hoc etjam intelligendum est de juribus, quae ratione dignitatis vel status mariti, ipsis etiam post mortem illius competunt permanentque salva & intacta. Sic (1) viduae Professorum gaudent privilegiis *in auth. habita. C. ne fil. pro patre &c.* earum maritis concessis, *l.* 3. *C. de privil. Scholar.* & cum Professores à patrimonialibus muneribus sint immunes *l.* 6. *l. f. C. de Prof. & Med. l. f.* §. *f. ff. de muner. & honor.* viduae quoque illorum (2) gaudent eadem immunitate *d. l.* 6. *& f.* li-

f. licet alias fœminæ à patrimonialibus minime ſint immunes *l. un. C. de mulier. in quo loco mun. agnoſc.* Quæ duo privilegia Viduis Clericorum etiam haud denegamus, præterquam enim quod *in l. 2. §. f. C. de Epiſc.* ſemper à muneribus immunes perſeverent, prærogativis omnibus Clericorum maritorum gaudentes, vel maxime à Profeſſore ad Clericum validum deducitur argumentum, parilis enim in utrisque militat æquitatis ratio, meritorum ſcilicet gravitas. Vide interim Hunnium *in Comment. de Privileg. Studioſor. ad auth. habita. C. Ne fil. pro patre &c.* argumenta pro & contra *c. 1. qu.* 6. nitidiſſime proferentem, tandemque affirmative totam rem decidentem, ad quem L. B. brevitatis ſtudio remitto. Ut taceam obſervantiam teſtari hodiernam communem, ab omnibus oneribus civium, paſtorum viduas eſſe liberas, niſi ſubſidia vitæ quærant ex jure civitatis, v. gr. Jure braxandi; tunc enim etiam oneribus iſtis ſubjacent, cum ad eum ſpectent incommoda, quem ſequuntur commoda. *l. 10. ff. de R. J.* Quod etiam de viduis Profeſſorum dictum volumus. De immunitate autem ab omnibus oneribus publicis, ratione Viduarum Paſtorum, in punctatione Ordinat. Eccleſiaſticæ Schvvarzburgicæ D. Frid. Lenzii, Cancellarii Schvvarzb. art. 16. von der Pfarrherrn und Schulbedienten Immunitäten und Freyheiten §. 7. hæc legimus: Auch ſoll eine ſolche Wittib mit habenden ihren Kindern / wann gleich derer Ehemann kein Bürger-Recht des Orts gewonnen hätte / ſo lange ſie in Witwen Stande verbleibet und es ihr beliebet / in ſolcher Stadt oder Dorff der Auffenthalt / wie auch aller

andern nachbarlichen Gerechtigkeit Genieſſung / gegönnet / und darbey von der Obrigkeit / ſie nicht allein geſchützet / ſondern weil gleichwohl an unterſchiedenen Orten die Eingepfarrten auff ihren Koſten vor dergleichen arme Pfarrwittwen einige Häuſer verſchaffen und halten: Denenſelben Wittwen / wenn ſie gleich ein eigenes Hauß hätten / aber ſonſten keines ſonderlichen Vermögen wären / die perſönliche Onera als Wache / Folge / Hand-Dienſte / Jagd / Frohnen und dergleichen / und zwar von der Zeit an / da die Pfarr-Wohnung von ihr würcklichen geräumet wäre / die Gemeinde des Orths nachſehen.

II.

Clericorum Profeſſorumque Viduis porro (3) Annus Gratiæ das Gnaden Jahr beneficium eſt favoris pleniſſimum. Vi cujus ex ſpeciali gratia Principis, ipſis poſt mortem maritorum ſalarium & reditus totius anni ſequentis conceſſum eſt, perinde ac ſi adhuc mariti viverent. Præter ſingularem gratiam (quam propter etiam Gnaden-Jahr / ſicuti venationes precario conceſſæ, Gnaden-Jagden / item nummi à Principibus donari ſoliti Gnaden-Pfenninge appellantur) neq; æquitate hoc deſtituitur privilegiũ, ad quam quippe princeps, cui humanitate nil gratius eſt, *l. 57. pr. C. de Epiſc. & Cler.* ſemper attendere debet. Hinc Erneſtus Cothman *Reſp. Acad. 64. n. 20.* ſcribit: *Certe jus iſtud piiſſimum, juſtiſſimum, æquiſſimum & humaniſſimum eſſe. nemo ſanus negabit, cum plerique Profeſſorum & Miniſtrorum verbi divini totum pene vitæ tempus cum rei domeſticæ anguſtiis transigant, & ſuis liberis & viduis theſaurizare non poſſint.*

possint. Exiguum enim stipendium habent, & negotiationibus exercendis & lucris captandis operam impendere non possunt, ut proinde viduas & liberos ipsorum unius anni salario donare, eoque solatio reficere pium sane & humanum sit. Hæcille. Pastores enim, cumprimis vero Professores post mortem famam quandoque sibi, liberis vero & familiæ famem utplurimum relinquunt, eorumque hereditas sine ullo corpore, Juris intellectum habet, ceu festive scribit Limn. *de Jur. publ. Tom. 3. lib. 8. c. 3. n. 24.* Priusquam autem pluribus nobis de hoc agendum, non incongrue erit hic monere, quod non semper hic annus pro integro s. continuo 365. dierum decursu sumatur, sed sæpenumero tantum semestre spatium, quandoque etiam quadrans indigitet, prout Juris est & consuetudinis in qualibet regione s. civitate. Sic in Saxonia semestre spatium anni gratiæ nomine venit *per constit. Eccles. Elect. Sax. August.* Ao 1580. tit. von Immunitäten und Freyheiten der Kirchen-Diener / §. und zu fernerer Gnade. Inde etiam das halbe Gnaden-Jahr dictum Carpz. *J. Eccles. Lib. 1. tit. 12. def. 183. n. 5.* Sic similiter Noribergensi in Territorio viduis Clericorum & Professorum anni gratiæ salaria per semestre spatium cedunt. Uti & in Marchia per *ordin. Consist. de Ao 1573. tit. 23. §.* und über das sollen die Wittwen. Interim tamen passim per Marchiam specialibus consuetudinibus introductum, ut integri anni fructus per annum gratiæ intelligantur, quas consuetudines confirmavit Elect. Brand. *in Recess. Provinc. de Ao. 1653. §.* zum Sechsten: ibi zum sechsten soll sich das Gnaden-Jahr nicht weiter denn auff ein halbes Jahr erstrecken/

ſtrecken/ & paulo inferius: Da aber wegen Duration und Continuation des Gnaden-Jahres ein anders an etlichen Orten per ſtatutum & obſervantiam de jure ſubſiſtentem introducit, iſt es dabey allerdings zulaſſen. Porro de Academia Viadrina teſtatur Ill. Strykius *in diſp. buj. arg.* Profeſſorum Viduis ſalarium integri anni exſolvi; idemque in civitate eadem miniſtrorum eccleſiæ viduis exhiberi. Idem obtinet in ducatu Megapolenſi, Cothmann. *Reſp. Acad. 46. n.* 17. Nec non in Pomerania, ubi ſemper viduæ iſtæ integri anni ſalarium accipiunt. vide Dedekin. *vol.* 1. *conſ. Theol. p.* 2. *ſect.* 2. *n.* 16. *p.* 598. ubi refert Ein Bedencken der Theologorum in Pommern vom Gnaden-Jahr der Pfarrer Wittwen de Ao. 1502. Competit itaque hoc privilegium paſtorum Eccleſiæ nec non Profeſſorum viduis pro varietate locorum conſuetudinum, vel per totum vel per dimidium anni ſpatium, tribuitque ipſis non ſolum poteſtatem in ædibus maritorum per iſtud tempus commorandi, ſed & ſalarium integrum & tantum de pecunia numerata, frumento, decimis, fructibus, adeoque omnibus omnino reditibus percipiendi, quantum ipſe maritus, ſi vixiſſet, per totum vel dimidium anni ſpatium acquiſiviſſet. *d. Ordin. Eccleſ. El. Aug. de Ao.* 1580. ubi inter alia ſignanter: der halbe Theil ſeiner Jahrs-Beſoldung. *Ordin. Conſiſt. March. loc. ſupra cit.* ibi: Und über das ſollen die Wittwen und ihre Kinder nach Abſterben der Pfarrer / noch ein halb Jahr in den Pfarren ſitzen bleiben/ & in Project der neuen Kirchen-Ordnung D. Frid. Lenzii Cancell. Schvvarzburg. relat. à D. Fritſchio *in Tr. Juris Eccleſ. p.* 3. *art.* 16. von

der

der Pfarrern und Schulbedienten Immunitäten und Freyheiten. §. 6. talia habentur verba: Einer verstorbenen Predigers Wittwen und leiblichen Kinder/ aber keinen andern Erben soll die Pfarr-Besoldung noch auff ein halb Jahr gefolget werden. Ratione autem Professorum supra alleg. Sereniss. Elect. Saxon. Aug. de Ao. 1569. ita rescripsit: Daß nach tödlichen Abgang der Professoren und incorporirten Gliedmasen / derselben Weib und Kinder die Besoldung auff ein halb Jahr haben sollen. Nullum autem dubium est, quin, (ratione Pastorum Viduarum) præter modò memoratos reditus, etiam nummi Confessionarii, honoraria pro deductione funerum, aut pro Copulatione, item administratione baptismi &c. die Tauff-Gelder/ Beicht-Gelder/ Leichen-Gelder und Copulier-Gelder ꝛc. sub nomine salarii, der Besoldung/ intelligantur, prout docet Carpz. *Jurispr. Consist. L. 1. def. 189. & 190.* Hoc autem quod percipiunt omne, Viduæ nostræ, ipsis est dividendum cum liberis, si adsint, æqualiter, uti ex modo adductis *Ordinatt.* satis superque clare constat in verbis: derselben Weib und Kinder / Item: die Wittwe und ihre Kinder/ nec non: Wittwe und leiblichen Kinder: quod Dd. ita explicant, ut etiam omnes liberi Pastoris, sive ex priore, sive ex secundo vel etiam tertio procreati fuerint matrimonio, de eo participent, uti præjudiciis variis id confirmat Carpz. *Jurispr. Eccles. Lib. 1. def. 209.*

III.

Sed hic quæritur: quo tempore annus gratiæ incipiat, an sc. præcisè à mortis tempore, an vero à finito anno officii, etiamsi initio illius anni mortuus maritus

ritus fuerit? In hac quæſtione autem decidenda de anno deſervito ut quædam dicamus prius, opus erit. Eſt autem annus deſervitus, quo Viduæ Clericorum Profeſſorumque (4) ſingulatim in quibusdam locis, tanquam beneficio gaudent, ab anno gratiæ diſtinctus & ſeparatus, nihilque aliud ſignificat, quam jus percipiendi fructus ultimi anni, quo quis defunctus eſt, integros, licet initio anni deceſſerit. Vel aliter: Annus deſervitus denotat ſalarium Paſtorum & Profeſſorum Viduis debitum, pro functione totius anni, etiamſi ante completum annum ii mortui fuerint. Exemplo res fiet clarior: Titius Parochus A. 1708. feſto Michaelis officium ſuum auſpicatus, ſequenti (vel pluribus intermediis) anno, atque ſic intra periodum anni nondum completam, circa Kalendas Septembris, vel feſtum Johannis, vel etiam circa feſtum Paſchatos vel initio anni moritur ante terminum ſolutionis, tunc integrum totius anni ſalarium Viduæ & hæredibus tanquam annus deſervitus debetur. Vocatur annus deſervitus, vel potius ſalarium anni deſervitum: quippe quod ferè promeruit defunctus, quodque ipſi tanquam demeritum ſolvitur. Hinc in Churfürſtl. Sächſ. Kirchen-Ordnung General-Articuln / quos refert Fritſchius *Tr. Juris Eccleſiaſtici part.* 3. eò reſpexiſſe videtur Sereniſſ. Elector, dum *art.* 41. wie es bey dem Abzuge des verſtorbenen Pfarrers nachgelaſſenen Wittwen oder Kindern / mit Vergleichung gehalten werden ſolle / ita ſcribit: Es ſoll auch der Superintendens, neben dem Collatore, Lehen-Herrn / Rath / Richtern und Gemeinen / eine billige Vergleichung machen / nach Gelegenheit des Inventarii, der Zeit des Jahrs / unter dem

dem verdienten Gewächs auf dem Felde/ und andern Einkommen der Pfarr/ damit der Witwen und ihren Kindern dasjenige/ so der Vatter seliger fast verdienet hat/ nicht entzogen/ und doch die Pfarr nicht gar verödet und ausgeschopffet werde. In quæstionis autem ante propositæ resolutione, ad mores cujuscunque loci & num annus deservitus sit in usu, præcipue respiciendum. Equidem secundum *Const. March. cit. loco* ex verbis: nach Absterben der Pfarrer noch ein halb Jahr in der Pfarre sitzen bleiben: colligere licet terminum, à quo annus gratiæ sit inchoandus, perspicue, dicendumque videtur, viduis non competere annum deservitum. Sed cum annus gratiæ beneficium sit speciale, ex Principis voluntate originem trahens, annus vero deservitus sive salarium anni residui, beneficium Juris communis, quod denegari nemini potest, non erit dubium, quin Professores atque adeo ob identitatem rationis Pastores præter annum gratiæ salaria sua annua etiam nondum emerita ad Viduas & hæredes suos integra possint transmittere. *arg. l.* 1. §. 13. *ff. de extraord. cogn. arg. l.* 15. *§.* 1. *C. de Advocat.* 1. *arg. l.* 11. *in f. C. de proxim. sacror. scrin. & arg. l.* 3. *C. de agent. in reb.* Cum absurdum non sit Jure communi privilegiatum, etiam insuper novo & speciali privilegio gaudere, uti casum in terminis quasi refert Imp. *in l. f. C. de domest. & Protector.* quam vide. Sed num præter annum gratiæ, integri etiam illius anni, quo mortui fuere Pastores & Professores, salarium, ad Viduas & hæredes transeat secundum hodiernam observantiam, quæstionis est? Quod negandum in tantum; vel enim hodie saltem

pro

pro rata temporis concedi ſolet, Carpz. *Jurispr. Eccleſ. lib.* 1. *tit.* 11. *def.* 170. ita in *Conſtit. Ord. Marchic.* ſub rubrica: Was die Pfarrer in ihrem Abziehen oder Abſterben/ in den Pfarren laſſen/ auch ihre Erben von dem Einkommen der Pfarren ererben ſollen. §. Darnach ſoll. *tit.* 23. concepta verba habent: Darnach ſoll ein jeder Pfarrer das Einkommen und Früchte der Pfarren zu jeder Zeit pro rata temporis haben und behalten. Vel ſalarium unius quadrantis tantum pendi conſuevit. Cum enim hodie plerumque ſalaria Profeſſorum & Paſtorum per trimeſtria ſpatia dividantur, ſeu ſingulis anni quadrantibus ſolvantur, loco anni deſerviti, non plus quam quarta annui pars ſalarii ſolvi ſolet. *Conſilium Theolog. ſupra cit.* id ita exprimit §. Solches hat nun in den Städten da ſtehende Hebungen an Gelde/ Korn/ oder ſonſt iſt/ keinen Zweiffel/ als das Viertel-Jahr/ darein ein Prediger ſtirbt/ ſonderlich wo über ein Monat/ oder mehr Wochen verſchienen/ wird mit ad annum deſervitum gerechnet. Sic Erneſtus Cothman *Reſp. Acad. 46. n.* 18. ſcribit: in Academia Roſtochienſi Profeſſorum Viduas poſt mortem maritorum, ſalarium unius quadrantis, velut deſervitum vel operarum appendicem capere, & præterea annum gratiæ habere, quo unius integri anni ſequentis ſalarium accipiunt. Idem obtinere in Academia Viadrina teſtatur Stryk. *in laud. diſp. de Anno Gratiæ*, ubi Profeſſorum Viduae annum gratiae habent, qui non niſi quadrante anni impleto, in quo Profeſſor mortuus eſt, computatur. Quod etiam in Academia Witenbergenſi ſemper obſervari docet Suevus in *Conſt. Imp. Frider. Peric.* 7. *& ult. th.* 3. ita,

ut

ut ſi Profeſſor in termino trimeſtris ſpatii Luciae, Reminiſcere, Trinitatis aut Crucis, ſaltim poſt inchoatum illum obierit diem, Viduæ & liberis non duorum tantùm, ſed & trium terminorum ſalarium debeatur. (pro anno ſcil. gratiæ & deſervito ſimul.) Regulariter itaque trimeſtria ſalaria loco anni deſerviti hodie accipiunt, ubi tamen negandum prorſus non eſt, facile contingere poſſe, ut etiam annus deſervitus integer, Profeſſorum vel Paſtorum, initio anni mortuorum Viduis debeatur, præcipue ſi ipſa ſalaria fuerint annua, ſive annuatim exſolvi ſolita. Enimvero, cum, uti dixi, omnia hæc ex ordinationibus Eccleſiaſticis vel ſtatutis & conſuetudinibus cujuscunque loci optime dijudicentur, idcirco ſuperſedeo plura adducere & potius quæſtionem breviter adhuc ſubjungo: An etiam diviti Viduæ annus competat deſervitus & annus gratiæ? quod omnino affirmandum: cum vidua, quantumvis dives, nihilominus miſerabilibus perſonis ſit annumeranda. Dd. *ad c. ex parte* 15. *X. de foro compet.* Pruckmann. *de diff. utriusque ſex. p.* 2. *art.* 1. *n.* 3. ibique allegati. quia capite ſuo orbata & defenſore deſtituta eſt, & defuncto marito, nemo amplius eſt, qui ipſi proſpiciat. Secus ſi renunciaverit huic beneficio, cum quisque favori ſuo pro ſe introducto renunciare libere poſſit *l. p. C. de pact.* uti infra *cap.* 5. §. 5. videbimus. Priusquam claudam dictionis meæ de anno gratiæ rivulos, adhuc quæſtio reſolvenda eſt reſidua: Num æs alienum à defuncto Paſtore contractum ex anno gratiæ ſolvi debeat? Quod negandum ſimpliciter: non enim ex hereditate ejus provenit; ſed ex ſpeciali commiſeratione atque gratia

Principis hoc ſalarium Viduæ liberisque eſt indultum ad ſublevandam egeſtatem ; debita autem ex bonis defuncti ſolvenda ſunt, non propriis heredum. *arg. Nov.* 53. *c.* 5. Rauchbar *p.* 1. *q.* 25. *n.* 21. *& ſeqq.* Carpz. *J. F. p.* 2. *c.* 5. *d.* 10. aliique. Et hæc adeo vera ſunt, ut ne quidem arreſtari hoc ſalarium anni gratiæ poſſit, cum arreſtum in bonis alienis ad debitorem non ſpectantibus fieri non poſſit, Matth. Berlich. *p.* 1. *concl.* 74. *n.* 46. multominus vero in iis, quæ alimentis ſunt deſtinatæ, Martin. Coler. *de alim. lib.* 1. *c.* 13. *n.* 20. Aliud vero obtinet in ſalario anni deſerviti, quod demeritum quaſi ipſi ſolvitur, de hoc enim, quia partem hereditatis conſtituit, & ad Succeſſores hereditario devolvitur jure, rectè æs defuncti alienum ſolvitur, Rauchbar. *d. l.* Carpz. *l.* 1. *def.* 179.

IV.

Præter annum gratiæ & deſervitum porro Viduis Profeſſorum & Clericorum quibusdam in locis ſuccurritur (5) certo viduo, mit einem Wittwen-Geld/ Gnaden-Geld. Sic in dulciſſima patria mea Norica Viduæ noſtræ ex ſpeciali & munificentiſſima gratia Dominorum Nutritorum certa hebdomadaria ſubſidia ſat ampla habent, quandoque pro conditione Viduarum liberaliſſimè augeri ſolita. Alibi vero locorum in ſpecie Viduis Clericorum proſpicitur ex fiſco paſtorali, dem Wittwen-Fiſco, qui ferè in omnibus Saxoniæ locis in uſu eſt. Sic ſpeciatim in Ducatu Saxonico Gothano Viduæ ex eodem fiiſco poſt mortem mariti primo anno ſymbolum 60. Imperialium, & poſtea per ſingulos annos, ſi ad ſecunda vota non tranſeunt, usque ad mortem 8. vel 10. Imperialium acci-

Digitized by Google

accipiunt. Et hoc non ſolum viduis, ſed etiam, ſi illa non adeſt, liberis, qui non ſunt majorennes, tribuitur: ipſis enim non ſolum ſymbolum, ſed etiam pecunia annua usque ad majorennitatem exſolvitur. Diſpoſitionem hujus Paſtoralis fiſci ex Ordinationis Eccleſiaſticæ Saxo-Gothanæ (quam exhibet Fritſchius in *tr. Jur. Eccl. p. 3.*) *c. 5. art. 4.* Von der Pfarr-Wittwen tempore gratiæ, auch dem ihnen und den Schulmeiſters-Wittwen zu gut geordneten Fiſco: placet hic transſcribere integram, præcipue, cum & ad anni gratiæ & deſerviti illuſtrationem non parum conferat: Wir wollen auch nochmahls / daß des verſtorbenen Superintendenten / Adjuncten / Pfarrer- und Kirchen-Diener / Wittwen und Kindern / ſo ihr Brodt noch nicht erwerben können / ein halb Jahr nach ihres Ehewirths und Vaters Abſterben / in der Pfarr oder Diaconat-Behauſung den Sitz / darzu den halben Theil dero Jahrs-Beſoldung / von Zeit ihres Abſterben an / haben / und unterdeſſen der Pfarr- oder Diaconat-Dienſt durch die benachbarte verſehen / oder welches den Gemeinden viel nützlicher iſt / die vacirende Stelle anderweit erſetzet / und vorher mit den Gemeinden gehandelt / oder ſonſten Verfügung gethan werden ſoll / daß dem neu-beſtellten Pfarrer oder Diacono zu nothdürfftiger Unterhaltung wöchentlich / biß zu Außgang des temporis gratiæ, ein gewiſſes Deputat gereichet werde / doch ſollen ermeldte Hinterlaſſene / auch die Gebäude und Güther in den Würden erhalten / wie ihre verſtorbene Ehewirthe und Väter / Inhalts *c. 3. tit.* 6. dieſer Ordnung zu thun ſchuldig geweſen. Und ſoll das Unter-Gericht / oder an andern Orthen und

Enden / über welche deren noch keines angeordnet / der Superintendens / neben dem collatore, Lehen-Herren oder Beamten / eine billiche Vergleichung machen / nach Gelegenheit des Einkommens / und der Zeit des Jahrs / über dem theils verdienten Gewächs auf dem Felde / und andern Einkommen der Pfarr / damit den hinterlassenen Erben des verstorbenen Pfarrers dasjenige / so derselbe verdienet gehabt / nicht entzogen / noch auch hingegen der neue Pfarrer verkürtzt werden möge / und eine Zeitlang umsonst dienen müsse / sondern daß die Billigkeit hierin in acht genommen / und nicht etwan aus gefastem Neid oder Abgunst dem einen theil etwas vorenthalten / und dem andern zugewendet werde: Da auch solche Vergleichung in der Güte nicht mag getroffen werden / soll man den gantzen Handel mit allen Umständen an unser Consistorium berichten. Wir sind auch geneiget / zumahl gedachter Pfarrer hinterlassene Söhne / wo dieselben bey der Schulen aufferzogen / und einen solchen profectum erlanget / daß sie unserer Stipendien und Beneficien fähig werden können / gegen schuldiger unterthäniger dern Verbündniß auff vorfallende Vacantz damit zu begnädigen. Und dieweil ferners die Pfarr-Wittben und Waisen öffters in gantz dürfftigen Stande hinterlassen werden / als haben wir die Verordnung gethan / daß ein sonderbahrer fiscus durch thunliche Mittel aufgerichtet worden / der von Zeiten zu Zeiten vermehret wird / daraus den Pfarr-Wittben und Waisen / unserer Fürstenthum und Lande / zu ihrer besserer Hinbring- und Erhaltung an die Hand gegangen / und zwar bald nach des Pfarrers

Abster-

Abſterben / jeder Wittben und Waiſen / von jederem Pfarrer und Kirchendiener unſeres Fürſtenthums / ein halber Thaler / durch gewiſſe Deputirte / eingebracht und zugeſtellet / hernach aber alle und jede Jahr noch zur Zeit zehen Thaler aus dem fiſco, biß derſelbe beſſer zunimmt und vermehret wird / da denn ein mehrers gereichet werden ſoll. Und wollen wir nochmahls / daß / wie bey viel gedachten Synodo geſchloſſen / dieſe gnädige Beyſteuer / wie auch / was von obgedachten halben Gnaden-Jahr ihnen zukommet / von keinen Creditore in Anſpruch genommen / ſondern gedachten Wittben und Waiſen zu ihrem Unterhalt frey gelaſſen werden ſoll; welche Verordnung denn wir auch auf den ebener maſſen neu-angerichteten Schulmeiſter-Fiſcum hiermit erſtrecken thun.

V.

Subvenitur etiam (6) Viduis Paſtorum hodie temporali habitatione, mit einem Wittwen-Sitze. Hinc ubique fere locorum in civitatibus certas ædes in vernaculo noſtro Wittwen-Häuſer vocatas, videmus his deſtinatas. Qua in re etiam Illuſtris & nunquam ſatis laudanda Respubl. Patria, ſicuti de omnibus, ita ſane de habitatione omnibus omnino Paſtorum vel in- vel extra urbem demortuorum Viduis prudentiſſimè proſpexit, diſtrictus ſat ampli Cœnobio Carthuſiano, vulgo die Carthauß dicto, ad hunc finem aptato, ubi pleræque Viduarum ab omnibus civitatis oneribus immunes commodiſſime commorari poſſunt, usque dum vel ſecunda ineunt vota, vel fatis concedunt. Tales autem ædes, Wittwen-Häuſer / non ſolum libere ac pleno quaſique proprio

jure inhabitare ſolent, ſed & aliis locandi licentiam plerumque habent, ſi vel ipſæ inhabitare nolint, vel proprias ædes poſſideant: Hoc enim nihil obſtat, quo minus commodis habitationis jure ſibi debitæ, per elocationem alteri factam frui poſſint, cum & Viduæ divites anni gratiæ capaces ſint, uti ſupra oſtenſum. Interim ſæpenumero accidere poteſt, quod ædes iſtæ omnes jam ſint occupatæ; quo ſane in caſu tunc Proviſores Eccleſiarum, die Kirchen-Pflegere/ Viduis aliam domum comparare (vel etiam pecuniam pro habitatione exſolvere) quibusdam in locis tenentur, quam tamdiu tenent, usque dum ſtatus mutatio in reliquo Viduarum ordine contingat.

VI.

(7) Cum alias in genere maritorum Viduæ gaudeant & fruantur juribus collegii, cujus maritus fuit particeps, ſic enim Viduæ artificum poſſunt artificium per idoneum ſervum exercere, quem appellant Meiſter-Geſellen/ Tafelſchneider/ Perez *in C. tit. de murileg. & Gynæc. n.* 3. Steph. *de Jurisd. lib.* 3. *p.* 1. *c.* 19. *n.* 17. P. Gregor. *lib.* 9. *ſynt. c.* 4. *n.* 18. qui poſtmodum per matrimonium Viduae Domini ſui acquirit jus opificii vel artificii, evaditque magiſter idoneus. Hinc nec defunctorum Eccleſiae Miniſtrorum viduis invidendum erit hoc jus ſingulare, in multis praeſertim Pomeraniae, Marchiae, Ducatus Megapolitani provinciis, conſuetudine & moribus inveteratis magis quam lege obtinens, Finckelthauſ. *de Jur. Patron. c.* 6. *n.* 38. quo, ut in parochiis Viduae retineantur, ambienti parochiam vacantem non aliter patet aditus, quam ſi praedeceſſoris defuncti viduam vel filiam in

uxo-

Digitized by Google

uxorem duxerit. Non hic multis disquiram verbis, num successio haec in ecclesia hereditaria, qua & libertas matrimonii infringitur, & vocatio redditur illegitima, quaque indignus digniori saepenumero praefertur ex solo Viduae amore non raro lascivo, admittenda sit, necne? cum jam diu inter ipsos etiam Theologos immensis scripturae voluminibus disceptatum de hac re acriter,

—— —— *& adhuc sub judice lis sit;*

sed hoc saltim dicam Carpzovio *de J. F. S. dec.* 1. *pos.* 9. placuisse, eum, qui opus pium atque Christianum facit, admitti potius debere, quam alium; qui de caetero sub certis quibusdam limitationibus hanc consuetudinem strenue defendit, (1) si vocatus sit habilis, inq; eum (2) consentiat Ecclesia, ne libero privetur suffragio, (3) si Viduae vel Filiae defuncti Antecessoris liber relinquatur consensus ad matrimonium contrahendum, (4) idque etiam Successor approbet voto proprio. Sed eheu! contrarium tot annorum decursu quotidiana experientia comprobatum, has conditiones tantum non impossibiles hominibus videtur fecisse. Certe Legislator Saxonicus successionum hereditariarum Jura ad officiorum ecclesiasticorum constitutionem transferri piaculum duxit, & in tali casu Consistorio Wittebergensi rescripsit: Was bey Uns Prisca S. K., weiland Pfarrers zu R. hinterlassene Wittwe/ wegen ihrer Tochter/ damit dieselbe bey der Pfarr bleiben möge/ demüthiglich suchet/ solches habt ihr aus der Anlage zu vernehmen; Wenn Wir aber die Pfarr-Dienst vererben zu lassen nicht gedacht; als begehren Wir hiermit gnädigst/

digst/ ihr wollet die Supplicantin von ihrem Suchen abweisen. Daran ꝛc.

VII.

In quibusdam etiam locis habent Viduæ Pastorum (8) privilegium sive Jus braxandi sine onere census decimarumque, cum restrictione tamen, ut saltem ad necessitatem propriam, & tantum cerevisiæ, quantum defunctus maritus opus habebat, pro parte dimidia coquant, uti in D. Frid. Lenzii, Cancell. Schvvarzburg. Project der neuen Kirchen-Ordnung *art.* 16. von der Pfarrer und Schul-Bedienten Immunitäten und Freyheiten his legimus conceptum verbis §. 8. Solche Wittwen mögen hinfüro zu ihrem Tischtrunck halb so viel/ als ihr Ehewirth in seinem Leben befugt gewesen/ Zehend-frey brauen. Similiter (9) si Viduæ Pastorum Domicilium territoriumque mutent, immunes sunt ab omni residuo, possuntq; omnia sua bona seu mobilia seu immobilia sine metu detractionis certe pecuniæ summæ lege debitæ des Abzugs-Gelds distrahere. Ceu eadem punctatione *Ord. Eccles. Schwarzburg.* constitutum est, §. 9. Sollen auch solche Wittben/ wenn anders wohin sich zu wenden/ und ihre unbewegliche Güter loß zu schlagen ihnen beliebte / samt ihren Kindern mit allerley Abzug-Geld verschonet bleiben. Quod privilegium etiam hodienum Viduis Professorum, omnibus in Universitatibus vel propter *auth. habita. C. ne filius pro patre* vel propter privilegium *l. 6. & l. f. C. de Profess. & Med.* quo ab omnibus patrimonialibus muneribus sunt immunes, uti *supra Cap. b. 4.* §. 1. *n.* 2. ostensum fuit, competere, nemo unus reperitur, qui neget.

Ca-

CAPVT V.

monſtrat Contraria, ſeu modos, quibus Viduæ Clericorum & Profeſſorum amittere hæc jura poſſunt, ſubnexa quæſtione.

I.

REſtat ut denique paucis videamus, quibus modis Viduæ Clericorum & Profeſſorum hæc Jura atque privilegia amittant. Amittuntitaque hæc, vel *caſu*, utpote (1) Morte, mors enim omnia ſolvit *l. 59. §. 3. ff. de re judicata.* (2) Interitu rerum, ex quibus Jura & privilegia illa Viduis debentur, *arg. l. 45. de O. & A. l. 23. l. 33. 37. de V. O.* Sic ex. gr. bonis Dotalitio dicatis intereuntibus Jus ipſum Dotalitii interit. Sic Legato, quod ex teſtamento habent, corruente etiam bona ex illo debita perdunt; vel *culpa*, & ſic regula obtinet *l. 203. ff. de R. J.* damnum quod quis ſua culpa ſentit, non videtur ſentire; perdunt itaque (3) privilegia Viduitatis, ſi ſecundas ineunt nuptias *l. 22. §. 1. ff. ad Municipal. Nov. 22. c. 36.* Per hoc enim Vidua amplius non eſt; ſublata itaque cauſa, ſcil. Viduitatis, tollitur etiam effectus, quoad ejus Jura; cum miſerabilis Conditio, propter quam privilegia Viduis ſunt conceſſa, ceſſet. Et ſic facile colligere licet, ea privilegia, quæ habent cum Fœminis communia, quæque a nobis ſupra *Cap.* 2. recenſita fuere, eas omnia ſarta tecta retinere. Ut autem ordine procedam; amittunt ſecundis nuptiis, non ſolum privilegia a Principe ipſis conceſſa, ſed & dignitatem & omnia privilegia prioris mariti, *l. 8. ff. de Senator.*

Digitized by Google

l. 13. C. de dignit. cum sequantur dignitatem secundi, nisi a Principe specialiter impetraverint, ut dignitatem & immunitatem prioris matrimonii retineant, *l. fin. pr. de Senat.* perdunt quoque quoad proprietatem omnia ea quæ a priori marito lucrativo titulo acceperunt, & quicquid ex successione filiorum prioris matrimonii consecutæ sunt, solo usu fructu apud ipsas remanente *l. 3. §. 1. C. de sec. nupt. avth. ex testamento C. eodem.* Andr. Gailius 2. *obs. 98. n. 24.* Si vero nulli liberi prioris matrimonii adfuerint, retinent etiam legata & lucra nuptialia, *d. l. 3. §. 1. inf. eod.* nisi sub conditione Viduitatis expressa fuerint relicta. Sic perdunt præterea educationē liberorum, *Nov. 22. c. 38.* perdunt eorum tutelam, *avth. Sacramentum. C. quand. mul. tut. offic. fung. potest.* Sic porro respectivè 1. & 2. nec non 8. & 9. privilegium *Cap. 4.* à nobis relatum perdere possunt, si scil. nubant viris hisce immunitatibus non gaudentibus: sic privantur privilegio 5. & 6. non tamen anno gratiæ & deservito. Hæc autem dicta sunto de nuptiis, quas Vidua secundò iniit, maturis, sive illis, quæ finito luctus tempore contrahuntur; Viduæ enim mortem maritorum per annum lugere debent, *l. 2. C. de secund. nupt.* si vero nuptiæ immaturæ fuerint, i. e. intra luctus annum initæ, tunc etiam præter jam recensita jura, perdit etiam omnia à defuncto marito quocunque modo sibi relicta in totum, etiam quoad usumfructum, *l. 1. vers. his etiam. & d. l. 2. C. de secund. nupt.* Ut taceam plura jura, quæ perdit hoc modo Uxor omnia Jure Civili, vid. Neuhan. *membr. ult thes. 3. lit. B.* non vero Jure Canonico, *c. ult. & pen X. de secundis nupt.* quod sequimur praxi hodierna, Wesenb. *paratit. ff. de bis qui not. infamia.*

Wis-

Wiſſenb. *part.* 1. *diſp.* 11. *theſ.* 19. Interim tamen, nuptiis immaturè contractis hodie perdere poſſunt annum gratiæ, ſi is per integrum annum ſolvi conſuevit, proviſione enim amplius non opus habent, cui maritus novus jure connubii proſpicere tenetur. Imo ſibi ipſis imputent, quod à ſecundis nuptiis tamdiu non abſtinuerint, donec annus gratiæ ad finem ſit perductus, Stryck. *diſſ. de anno gratiæ cap. ult.* §. 25.

II.

Indignas porro ſeſe reddunt (4) Viduæ Clericorum & Profeſſorum Viduitatis jurium, imprimis vero eorum, quæ à marito acceperunt, ſi luxurioſe vivant, *l.* 7. *C. de revoc. don.* Gail. 2. *O.* 98. Tiraqu. *de Nobil. c.* 18. *n.* 13. Panorm. *in c. uxoratus* 8. *n.* 2. *de converſ. conjug.* Vidua enim impudice vivens injuriam quaſi oſſibus mariti infert, Matth. Coler. *deciſ.* 176. *n.* 49. & æquiparatur ad ſecunda vota tranſeunti, *arg. d. c.* 8. *de converſ. conj. l.* 7. *C. de revoc. don.* ibique Gothofr. Ita dicit Bartolus *ad d. l.* 7. *C. de rev. don.* quod omnes pœnæ impoſitæ ſecundò nubentibus, etiam locum habeant in his, quæ inhoneſte vivunt. Luxorioſe autem vel inhoneſte vivere non tantum illa dicitur, quæ ſtuprari, ſed & quæ luxurioſe contrectari & palpari ſe patitur. Tales enim actus ſtupro ſunt proximi, & in ignominiam familiæ & defuncti mariti vergunt, *Nov.* 39. *c.* 2. *in med. princ.* præſumiturque etiam ex ſolo multorum ad eam aditu, Bald. *l.* 4. *conſ.* 207. Idem dicendum de Viduis putat Neuenhan. *m. ult. theſ.* 3. *lit. A.* quæ libidinoſe ſe oſculari patiuntur, quia enim hoc modo in pudoris & verecundiæ leges peccant, læſi etiam pudoris & verecundiæ pœnas, quæ in jurium Viduitatis privatione conſiſtunt, merito incur-

Digitized by Google

runt, Menoch. *A. J. Q. caſ.* 287. *in f.* Id autem de talibus oſculis intelligendum, quæ vulgò libidinis & voluptatis incentiva vocantur, ſecus autem de oſculo amicitiae & honoris. Quicquid interim legum hac in re ſit conſtitutarum, neſcio tamen, an haec adhuc hodie ſint in viridi & tam ſtricta obſervantia. Nec injuſte, cum odioſa ſint reſtringenda.

III.

Sicuti luxurioſe vivendo, ita etiam (5) injuria verbali afficiendo maritum defunctum, parte haereditaria ſua ex bonis mariti ſibi debita Vidua privari poteſt, cum defunctos injuria afficere omni jure ſit prohibitum, *l.* 1. §. 4. *ff. de Injur.* §. 1. *verſ. valde. J. quib. ex cauſ. manum. l.* 8. *pr. ff. de relig. & ſumt. fun.* De mortuis enim nil niſi bonum. Ita Richter *p.* 5. *conſ.* 17. *n.* 2. *& ſeq.* ſcribit: Daß ein ſolch Ehr-vergeſſenes Weib und Wittwe / die ihren geweſenen Ehegatten in der Grube alſo boshafftiger weiſe ſo gröblich an ſeinem Ehrnſtande und Nahmen antaſtet / ſchändet und ſchmähet / hierdurch deſſen / was ihr aus ſeiner Verlaſſenſchafft ſonſten gebühret hätte / ſich gäntzlich verluſtig gemachet; vel etiam (6) alio quocunque modo injuriam aut ingratitudinem adverſus illum ſive ante ſive poſt mortem committendo, e. g. ſi maritum infirmum negligat, eique Medicos non adhibeat &c. tunc legata, hereditatem & alia bona ab eo ſibi relicta percipere non poteſt, Berlich. *p.* 3. *concl.* 36. *n.* 37. Richter *d. l. n.* 9.

IV.

Amittunt etiam (7) jura Viduitatis, nec quicquam ex bonis mariti percipiunt, ſed portio earum tanquam vacans fiſco accreſcit, ſi mariti mortem violentam non vindi-

Digitized by Google

vindicant, *l.* 20. *ff. de his quæ ut indign. l.* 5. *§.* 2. *de SC. Silan.* Bart. *in l.* 10. §. 1. *n.* 2. *ff. ſol. matr.* Berlich. *p.* 3. *concluſ.* 36. *n.* 6. *&* 7. Optimè hac de re ſcribit Neuenhan *d. l. lit. C.* Suſpectae fidei eſt, ſimulatique amoris ſuſpicio, ad internecionem conjugis ne hiſcere quidem, aut vel leviſſime indignari; Proinde jure cautum eſt, ut qui interfecti gaudere vult favoribus atque privilegiis, ejus quoque mortem vindicet, reosque quam poterit diligentiſſime perſequatur, *l.* 9. 15. *in pr. ff. ad SCt. Silan. l.* 17. *ff. l.* 3. *l.* 9. *C. de his quæ ut indign.* Id quod etiam Galli perquam ſtudioſe ſequuntur, prout teſtatur Renatus Choppin. *de priv. ruſtic. lib.* 3. *cap.* 11. *p.* 313. Quicquid interim ſit, in praxi hoc jus, vindicandi mortem, hodie non obſervatur, *arg. l. un. C. ut nemo invit. agere &c.* arg. Ord. Crim. *art.* 214. Carpz. 1. *qu.* 34. *n.* 75. Clarus *lib.* 5. *recept. ſent. qu.* 79. Lauterb. *in Comp. ff. ad tit. de SCt. Silan.* non obſtante Heigii 2. *q.* 34. diſſenſu.

V.

(8) Et ultimo ceſſant omnia & ſingula hæc privilegia ſi viduæ hisce renunciaverint, ſicuti paſſim hactenus in diſſertatione dictum; cum libertate naturali cuilibet conceſſum ſit, favori pro ſe introducto renunciare *l. pen. C. de pactis l.* 4. *§.* 4. *ff. Si quis caut. l.* 41. *ff. de minor.* neque Juris civilis ratio permittat, invito obtrudere beneficium *l.* 69. *l.* 156. §. *f. ff. de R. J.* Et licet ſint, qui putant privilegiis hisce renunciari non poſſe, ideo, quod privilegia hæc utilitatem publicam reſpiciant. Sic ex. gr. privilegia *l. unic. C. quand. Imper. inter pup. &c.* quia miſerationis atque adeo dantis cauſa conceſſa ſunt, habentur ipſis non pro privato ſed pro publico favore *arg. c.* 1. 2.

Digitized by Google

12. x. *de foro compet.* Julius Pacius *in Analect. ad d. l. unic. C. quando Imperat. inter pup. & mif. &c.* Baldus *ad d. l.* Natta *conf.* 590. *n.* 15. Gailius *O.* 1. *n.* 40. Rectius tamen Perez. *ad Cod. d. t.* aliique Dd. contrarium tenent *arg. l. penult. C. de pact.* docentes, non tam publicæ quam miserabilium privatæ utilitatis causa id ipsum esse indultum.

VI.

Liceat tandem toti huic nostræ Tractationi finem imponere hac quæstione: Num sit melius uxorem ducere viduam, an virginem? Illi qui virginem præferendam esse contendunt, urgere solent, quod quis multo facilius eam suis moribus assuefacere possit, quam viduam, quæ vel ex suo, vel ex prioris
B. mariti arbitrio vivere soleat; quam in rem & Arist. *L.* 1. *Oecon.* & Hesiod. *L.* 2. ἔργων καὶ ἡμερῶν allegant. Quemadmodum igitur Musicus ille Timotheus ab illis, qui ab alio jam instructi essent, duplicem mercedem postulabat, quod gemino labore, illi à prioribus abducendi essent erroribus, & ad novam instructionem formandi: ita duplex onus ei arbitrantur imponi, qui viduam ducit, quam & prioris viri mores dedocere, & suis assuefacere teneatur. Henr. Kornm. *de virg. c.* 26. Bulgarum etiam, mane post nuptias, quas cum vidua celebraverat, Legem *Rem non novam &c.* 14. *Cod. de Judic.* interpretatum ideo ab auditoribus derisum fuisse, notat Accursius ad *cit. leg.* Imprimis vero metuendum esse arbitrantur hujus sententiæ Patroni, ne vidua, pro regnandi cupiditate sexui huic innata, regimen domesticum sibi vendicare annitatur, quod tamen per salutarem illam *l. fœminæ.* 2. *ff. de R. I.* jure illis sit ademtum.

Saltem

Digitized by Google

Saltem incommodum esse quam maxime, querulas audire voces viduæ, quæ, quoties non ex sententia & voto omnia succesſerint, ad vivendi rationem moresque prioris mariti provocet, & comparatione instituta, nuptias priores his secundis votis longe feliciores prædicet. Quibus omnibus non infrequenter accedant jurgia, convitia, & objectiones aliæ (præcipue si opibus abundaverit) quæ vitam mariti duram omnino reddant atque acerbam. E contrario vero, neque illis, qui viduarum partes suscipiunt, desunt rationes, quibus suam sententiam commendent. Et illis quidem qui virginitatis ipsius prærogativam extollunt, respondere solent,

Vit certe prodest virgo, si ducta sit uxor,
Una cum nocte desinat esse quod est.
Elige matronam potius tibi jungere nuptam,
Quæ posthac etiam quod fuit ante, manet.

Viduam, pergunt, non tantum rebus illis ad rem domesticam & Oeconomicam requisitis, instructam esse, quas, qui virginem ducit, comparare adhuc teneatur; sed & rem familiarem multo melius & certius augere & amplificare posse, cum familiæ jam præfuerit, quam virginem, quae non raro, ob ex perientiae defectus, familiae maximo possit esse detrimento. Georg. Schönborn. *Pol. lib.* 1. *c.* 6. Hanc saepissime de formae cultura, vestitus elegantia quandoque sumtuosissima, aliisq; non necessariis, imo inutilibus & noxiis esse solicitam, cum vidua magis curet, quae sui sint officii, marito obsequatur, ad ipsius mentem nutumque mores suos componat, dicatque semper: *Impera quid vis, neque tibi ero in mora, neque latebrose ab tuo conspectu me occultabo.* Plaut.

Plaut. *ad Trinum A. 2. Scena 2.* Quod vero ad regimen domeſticum attinet, retorquent fere qui à viduarum partibus ſtant, dicuntque tantum abeſſe, ut qui virginem duxerit, de regimine retinendo ſecurus eſſe poſſit, ut potius illud amittendi metus juſtiſſimis ex cauſis ipſi oboriri poſſit. Virgines enim exiſtimare ſe, cum per matrimonium ex familia paterna excedant, jam plane liberas eſſe, hujusque libertatis abuſu fieri ſaepiſſime, ut mulieres fiant refractariae, ſaltim conjugia oriri jurgiorum & diſcordiarum pleniſſima. Cum vidua è contrario non ignoret, marito permiſſam eſſe facultatem coercendi juſta detrectantem obſequia; & cum matrimonii jugum jam ſit experta, virum ut caput colere ſimul didicerit. Tandem additur, eum, qui viduam ducat, imprimis, quæ liberos habeat ex priori matrimonio, ita certiorem reddi, utrum conjugii finem primarium poſſit conſequi, & quod ducenda non ſit ſterilis; quæ deinde etiam lactationis officium libentius in ſe ſuſcipiat, quam prima vice parturientes, quæ tantum non exiſtiment ſibi hoc eſſe dedecori. Quæ & alia plura apud Scriptores Polit. paſſim reperiri poſſunt. Conferantur quoque duæ Elegiae elegantiſſimae in Vinc. Fabricii *Poematiis* obviae, quarum priorem ipſe Fabricius ad I. Fr. Gronovium pro Virginibus, poſteriorem Zach. Lundius ad Corn. Grotium pro Viduis perſcripſit, utraque in vernaculam translata habetur P. V. der Teutſchen Hälliſchen Anmerckungen *n. 4.* ut alia, quae huc referi poſſent, ſilentio praeteream.

Tantum!

Digitized by Google